

**PARAPHRASIS LYRICA, IN PHILOMELAM D. BONAVENTURAE DOCT. ECCLESIAE. STEPHANO FIRMIONI.**

## BEATISSIMAE VIRGINI MARIAE DEI PARAE:

P1\_1 v.1 O delicata crispe Puer coma,  
 2 qui melle plenas inter apes sedes :  
 3 arguta dum sylvis et agris  
 4 dulce ferit Philomela carmen :  
 5 filo legendis floribus interim  
 6 cessare nolis. Lilia cum rosis,  
 7 alterna post myrtum ligustra.  
 8 Ut series sit amoena, misce.  
 9 Flos quintus album, flos decimus nigrum  
 10 distinguat apto nexilis ordine.  
 11 In fine pallentes recumbat  
 12 in violas Mariana nardus.  
 13 Formosa cinges tempora Virginis,  
 14 quae, donec imples sarta, sinit comas  
 15 decenter exemptas jocantis.  
 16 Arbitrio fluitare venti.  
 17 Quid jam moraris ? Vivere te negem  
 18 in vota lentum. Virgo tuam fidem  
 19 expectat. O tandem, petitam  
 20 necte meae Dominae coronam.

## IN PHILOMELAM D. BONA VENTURAE PARAPHRASIS LYRICA I.

P1\_1B v.1 Philomela praevia temporis amoeni,  
 2 qua recessum nuntias imbres atque caeni :  
 3 dum mulcescis animos tuo cantu leni.  
 4 Ave prudentissima : ad me, quaeso, veni.  
 5 Veni, veni : mittam te, quo non possum ire.  
 6 Ut amicum valeas cantu delinire ;  
 7 tollens ejus tristia voce dulcis lyrae.  
 8 Quem, heu, modo nescio verbis convenire.

## PROLUSIO. ANIMA PHILOMELAM AD CANENDUM INVITAT.

P2\_1 v.1 O quae per nemorum saltus, et amoena vireta,  
 2 gratior una volas,  
 3 huc, age, frondosi ludens in colle theatri,  
 4 huc, Philomela, veni.  
 5 Huc ades. An resonat nemus ? Et jam plumae coram  
 6 phosphore veris ades !  
 7 Te veniente, nives fugiunt, et bruma recedit :

8                   taetrrior annus abit.  
 9       Nunc, quoniam fugere nives, et bruma recessit,  
 10                   huc, Philomela, veni.  
 11       Quem modo non possum tristis captivus amicum.  
 12                   Exsul adire Patrem :  
 13       ipsa salutabis ; nostrique vicaria voti,  
 14                   supplice voce canes.  
 15       [Flebilis] ingemit, ah ! propera : maestumque dolorem  
 16                   admodulata leva.

P2\_2     v.1       Ergo pia suppleas meum imperfectum ;  
           2       salutando dulciter unicum dilectum.  
           3       Eique denunties : qualiter affectum  
           4       sit cor meum jugiter ejus ad aspectum.

DILECTAE AD DILECTUM LEGATIO. ANIMA AD PHILOMELAM.

P3\_1     v.1       I Siren, volucrum decus,  
           2       silvarum citharistria :  
           3       nunc et nostra. Tua tamen  
           4       istud pace peto. Meum.  
           5       Dilectum (rubet, et simul  
           6       candet) sicubi videris ;  
           7       consuetam liquidis, precor,  
           8       artem vocibus admove ;  
           9       inter pennigeras avis  
 10       facundissima filias.  
 11       Haec dices juveni Deo.  
 12       Te salvere jubet tua.  
 13       Cum dices tua, te : gemes.  
 14       Cum, salvere jubet : canes.  
 15       Quaerenti : quid agam ; modis  
 16       inflexae querimoniae  
 17       narra : me Solymitidum  
 18       uri lampade virginum.  
 19       Flammis fervere pectora :  
 20       quales nec Siculae cinis  
 21       Aetnae sulphureus vomit.  
 22       Narra : succiduum genu  
 23       sub malo requiescere.  
 24       Cor desideriiis fluens,  
 25       in sponsi faciem sui,  
 26       absentis licet, igneas  
 27       evibrare cupidines.  
 28       Ah ! si surdus et immemor  
 29       nostri, te minus audiat,  
 30       navim quam scopulus maris.  
 31       Ah ! si surgere languidus,  
 32       vix reddat tetricum vale.  
 33       Tentabis tamen omnia,  
 34       nondum ? Me miseram ! Volas ?

P3\_2     v.1       Quod si quaerat aliquis : quare te elegi  
           2       meum esse nuntium ? Sciat, quia legi  
           3       de te quaedam propria, quae divinae legi,  
           4       et optate munere, summo placent Regi.  
           5       Igitur Carissima. Audi nunc attente :

6 nam si cantus volucris hujus serves mente  
 7 ejus imitatio, Spiritu docente,  
 8 te caelestem musicum faciet repente ,

ANIMA ET PHILOMELA INDOLES CONSPIRANS. AUCTOR AD PHILOMELAM.

P4\_1 v.1 Cur te, fortasse rogabis,  
 2 solam, Philomela, citarim.  
 3 Inquirere parce : ferendis  
 4 ultro citroque per Orbem  
 5 nostris es amoribus apta,  
 6 ex mille volucris una.  
 7 Tua vox, o Musa, placebat.  
 8 Placet ars et gratia. Causae  
 9 meriti geminantur honoris.  
 10 Non est avis altera, nostrae  
 11 quae sit magis aemula mentis.  
 12 Docilis tu discere metrum  
 13 summi super aethera Regis,  
 14 aquilae studiosa Tonantis.  
 AUCTOR AD ANIMAM.  
 15 Age mens humana : beatae  
 16 cantus imitare volucris.  
 17 Quae nunc es muta, nec Oden  
 18 dignam potes edere caelo ;  
 19 fies divina Thalia.

P4\_2 v.1 De hac ave legitur : quod cum deprehendit  
 2 Mortem sibi propriam ; arborem ascendit :  
 3 summoque diluculo rostrum sursum tendit ;  
 4 diversisque cantibus totam se impendit.  
 5 Cantilenis dulcibus praevenit Auroram.  
 6 Sed cum dies rutilat circa primam horam :  
 7 elevat praedulcius vocem insonoram :  
 8 in cantando nesciens pausam, sive moram.  
 9 Circa vero tertiam quasi modum nescit.  
 10 Quia semper gaudium cordis ejus crescit  
 11 fere guttur rumpitur : sic vox in valescit.  
 12 Etque cantat altius, plus et inardescit.  
 13 Sed cum in meridie, Sol est in fervore :  
 14 tunc dirumpit viscera nimio clamore.  
 15 Oci, oci clamat illa suo more.  
 16 Sicque sensu deficit cantus prae labore  
 17 sic quassato organo hujus Philomelae.  
 18 Rostro tamen palpitans fit exanguis paene.  
 19 Sed ad nonam veniens moritur jam plene.  
 20 Cum totius corporis dirumpuntur venae.

AGON MUSICUS PHILOMELA. AUCTOR.

P5\_1 v.1 Lusciniae mores describimus. Haec, simul propinquam  
 2 vaticinata necem, citharae videt imminere finem :  
 3 exsatianda prius cantu, parat occupare Fatum,  
 4 nondum pura dies. Cum jam vigil, adsitas fluentis  
 5 Emicat in salices, aut mobile populi cacumen.  
 6 Hic sedet, et varias cata gutture temperat Camoenas :

7 laetior auditis Aurora fit, Atthidemque laudat  
 8 detergens lacrimas, quas roscida sparserat per agros.  
 9 Laude sua capitur vocalis, et intumescit, Ales,  
 10 jam crescente die. Nunquam tamen in loquaciores  
 11 prona fluit numeros Polyhymnia, tot magistra vocum :  
 12 quam, cum sol medium flagrantior igne scandit axem  
 13 illa, nescio quos, crebro vocat impotenter hora.  
 14 Ocius exclamans, huc ocius, ocius venite.  
 15 Ocius, advolita soror ocius, ocius, sorori.  
 16 Adriacum rapidis toties mare non tumet procellis  
 17 nec folia arboribus, simul ingruit. Africus, moventur :  
 18 multa suum quoties canit ocius, ociusque plorat.  
 19 At, ne displiceat crambe repetita, taedioque  
 20 languescant aures, fastidia corriguntur arte,  
 21 tristia nam miscet laetis, Elegosque Sapphycorum  
 22 dulcibus alloquiis discriminat insuper canoram  
 23 et movet alternis (ea gratia) submovetque scenam  
 24 jam retinet vocem : jam projicit, affluensque rursus  
 25 absorbet, carpitque melos. Moritura, nunc olores,  
 26 nunc imitatur aquas prope littora lene murmurantes  
 27 mox graviore sono pluviam secat, et tumultuatur  
 28 tractibus, assurgitque ad summa, relabiturque sensim  
 29 unica, ceu plures, sibi dulce negotium facessit.  
 30 Hoc opus, hic ludus. Nec ludere desinit, prius quam  
 31 rumpatur pectus quod saepius, occidente Phoebos,  
 32 Hesperus advertit, mortem miseratus innocentis.  
 33 Saepe etiam viridi si forte sub arbuto choraules  
 34 aemulus accinuit ; certamine victa, laureatae  
 35 incidit in chordas testudinis, et suam sonanti  
 36 infundens animam, meruit quoque funerata Lessum.

P5\_2 v.1 Ecce Dilectissima : breviter audisti  
 2 factum hujus volucris : sed si meministi :  
 3 diximus jam primitus, quis cantus isti,  
 4 mystice conveniunt legi Jesu Christi.

ANIMA AD IMITATIONEM PHILOMELA VOLUCRIS INCITATUR. AUCTOR.

P6\_1 v.1 Audis egregium, Dulcissima,  
 2 facinus volantis Silviae ?  
 3 Quale nec ipse suo Titanus  
 4 Ales sepulcro proferat.  
 5 Te signat, faciendo monens. Tibi  
 6 praeludit hoc in funere.  
 7 Mystica, si nescis, celebrat sacra,  
 8 tuoque dilecto vacat.  
 9 O sequere : atque auso pro te mori  
 10 aude vocata commori.

P6\_2 v.1 Restat, ut intelligo, esse Philomelam,  
 2 animam virtutibus et amore plenam.  
 3 Qua, dum mente peragrat patriam amoenam ;  
 4 satis delectabilem texit cantilenam.  
 5 Ad augmentum etenim suae sanctae spei,  
 6 quaedam dies mystica demonstratur ei,  
 7 porro beneficia, quae de manu Dei  
 8 Homo consecutus est : sunt Horae diei.

## ANIMA PHILOMELAM IMITANTIS IUCUNDA VITA. AUCTOR.

P7\_1 v.1 Ortu felix, patriaque domo,  
 2 Soror astrorum : non te pudeat  
 3 parvae volucris nomina ferre.  
 4 Quando relictis vallibus imis.  
 5 Vilique pigrae cespite glebae ;  
 6 ad summa volas, penetrasque polos,  
 7 et coelestis Solymae colles :  
 8 jure vocari Philomela potes.  
 9 Tunc multisono callida lepidum  
 10 ruis ore melos tunc tu nulla  
 11 saevi defles Ismara Regis.  
 12 Nullum plorans modularis Ityn,  
 13 oblita trucis Virgo tyranni.  
 14 Incesta Caro cum blanditiis  
 15 superata jacet frustra dirum  
 16 ululat Stygii carminis omen,  
 17 inimica tuo noctua nido.  
 18 Jesum, recinis, quereris Jesum  
 19 madet ipsa tamen melle querela.  
 20 Te dilecto Spes certa ligat.  
 21 Cujus amores et facta libens  
 22 memoras, ramo quocumque sedes ;  
 23 arbore Sanctae gavisia Crucis.

P7\_2 v.1 Mane, vel diluculum, Hominis est status  
 2 in quo mirabiliter Homo est creatus.  
 3 Hora prima, quando est Deus incarnatus.  
 4 Tertiane, dic spatium sui incolatus.  
 5 Sextam cum a perfidis voluit ligari,  
 6 trahi, caedi, conspui, dire cruciari,  
 7 crucifigi denique clavis terebrari :  
 8 caputque sanctissimum spinis coronari.  
 9 Nonam dic, cum moritur ; quando consummatus  
 10 cursus est certaminis : quando superatus  
 11 est omnia zabulus, et hinc conturbatus,  
 12 vespera cum Christus est sepulturae datus.

## ANIMA DILECTO SUO CHRISTO IESU INVIGILANTIS TEMPUS DIURNUM. ANIMA.

P8\_1 v.1 Quid stellas numerare juvat, quid regna, quid urbes  
 2 ignoto sub sole jacentes ?  
 3 Quis Homo concepit decisam e Numine lucem,  
 4 utilius numeraverit horas  
 5 prima refert tempus, Judaeo more notanti,  
 6 primaevo felicius auro :  
 7 quo Patris aeterni natus bis caelibe partu  
 8 humanos Deus induit artus.  
 9 Tertia nobiscum viventis digerit annos,  
 10 ac magno constantia lustra,  
 11 Pastor erat, qui multa tulit, qui plurima fecit.  
 12 Propter oves sudavit, et alsit.  
 13 Sexta necem Christi memorat, tragicosque dolores,  
 14 et plus quam ferale theatrum.

15       Flagra, catena, faces, rubus, alea, lancea, clavi,  
 16               crux, oculos terroribus implent.  
 17       Nona gemens, potuisse mori docet Immortalem,  
 18               in medio, pro fure, latronum,  
 19       tunc tamen intremuit tellus ; tunc impulit Orcum  
 20               turbatis Victoria claustris.  
 21       Vesper adest. Dira de quercu tollite funus,  
 22               exesa sub rupe locandum.  
 23       Heu mihi ! Quam pauci redimunt venale cadaver !  
 24               Vix duo sunt. Ego jungar amicis,  
 25       ibo comes, duplici fletu sparsura sepulcrum.  
 26               Imbre meo, lacrimis que Sabaeis.

P8\_2    v.1       Diem istum anima meditans in hortis,  
           2       suae facit terminum spiritalis mortis :  
           3       scandens Crucis arborem, in quae Leo fortis  
           4       vicit adversarium, fractis leti portis,  
           5       statim cordis organa sursum elevando,  
           6       suum a diluculo cantum inchoando.  
           7       Laudat et glorificat Deum, replicando,  
           8       sibi quam mirificus fuit hanc creando.  
           9       Pie, inquit, Conditor quando me creasti,  
 10       quam sit tua pietas larga, declarasti,  
 11       nam consortem gloriae tuae cogitasti  
 12       facere gratuite, gratis quam amasti.  
 13       O quam mira dignitas mihi est concessa !  
 14       Cum imago Domini mihi est impressa.  
 15       Sed crevisset amplius dignitas possessa.  
 16       Nisi jussum Domini fuisset transgressa.  
 17       Nam tu summa Caritas tibi cohaerere  
 18       me volebas jugiter, sursumque habere  
 19       dulce domicilium, tecumque manere.  
 20       Et me velut filiam alere, docere,  
 21       ex tunc disposueras, in id adunare  
 22       caelicis agminibus, teque mihi dare.  
 23       Sed pro tanta gratia quid recompensare  
 24       possum, prorsus nescio, nisi te amare.

ANIMA MEDITANTIS DILUCULUM. BENEFICIUM CREATIONIS. AUCTOR.

P9\_1    v.1       Anima invisae pertaesa morae,  
           2       tendit in hortum ; properatque mori  
           3       moriante Deo. Prius in cantum,  
           4       Philomela, tuo more liquescit.  
           5       Igitur cursu medio Lunae,  
           6       Cum nox tacita volvitur umbra.  
           7       Consanguineae cornua palmae  
           8       scandit, Amori bene nota suo,  
           9       namque ibi pandens brachia trunco,  
 10       falsum vere straverat anguem.  
 11       Auditus ibi rugire leo  
 12       super avulsae viscera praedae.  
 13       Rubicunda simul fulserit Eos :  
                   ANIMA.  
 14       exorsa canit. - Quis me tenuem  
 15       guttore docuit variare sonum ?  
 16       Liquidaeque dedit flumina vocis ?

17 Quis. Pro cithara, teretis colli  
 18 tornavit ebur ? Nihil ante fui.  
 19 Aliquid nunc sum. Minor aetheriae  
 20 Spiritus aulae : major reliqua  
 21 parte ferarum.  
 22 Dicite volucres sociaequae meae :  
 23 Quis in hoc viridi posuit luco  
 24 agilesque choros ducere jussit ?  
 25 Tu dulce bonum. Tu noster Amor  
 26 ex te radii, velut. Oceano,  
 27 fluxere mei. Tibi debetur  
 28 hoc Naturae geniale jubar,  
 29 scriptaque primae lucis imago :  
 30 ah ! Si nunquam turpata luto,  
 31 nunquam tenebris mersa fuisset.  
 32 Me consortem thalami, servam,  
 33 mensaeque tuae, cujus in usum  
 34 cibus ipse venis ; nimis impense  
 35 Dominus famula voce vocasti.  
 36 Et adhuc dubito ? Cedite Curae,  
 37 segnisque pavor, nimiusque pudor.  
 38 Ipsae potius properate morae.  
 39 Venio, venio, Deus, oblatis  
 40 adjura tori. Pater immenso  
 41 quamvis modicum pectus amori.  
 42 Depascentes vertar in ignes.  
 43 Eat in cineres jecur accensum.  
 44 Oculi, flammae ; scintilla, comae ;  
 45 turea fiant taeda lacerti.  
 46 Flagret ut rutilans, nupta. Cupressus.  
 47 Quini digiti, sint quinque faces :  
 48 quibus ad sponsum deducar amans  
 49 utinam toto pectore jungar  
 50 nihil amplexus dividat istos.  
 51 Nil se medium ponat utrique.  
 52 Praeter anhelam bene spirantis  
 53 animam nardi fragret amomo  
 54 violaeque coma, tener appressi  
 55 halitus oris.

P9\_2 v.1 Unica suavitas, unica dulcedo :  
 2 cordium amantium salutaris praedo.  
 3 Totum quidquid habeo, vel sum, tibi dedo.  
 4 Denique depositum meum tibi credo.  
 5 Oci, cantat tale Cor, gaudens in pressura,  
 6 dicens : quia dignum est, ut a creatura  
 7 diligatur Opifex talis mente pura.  
 8 Ei cum exstiterit de se tanta cura.

IN ANIMA MEDITATUM CREATIONIS BENEFICIUM, SUAVISSIMOS AMORIS MOTUS EXCITARE....

P10\_1 v.1 Nescio quid sentire juvat !  
 2 Unde est dulce palatum ?  
 3 Mella cado quae promit apis,  
 4 nulli cognita Florae ?  
 5 Sponsus, Io, sonuisse mihi  
 6 laeva visus ab aethra.

7 Ille favos roseisque liquens  
 8 sparsit nubibus aurum.  
 9 Gratus, io, cor praedo rapit,  
 10 delectatque rapina.  
 11 Ablatum festivus Amor  
 12 laeto versat in igni.  
 13 Siste gradum quo, Care, fugis  
 14 Spes et cura puellae ?  
 15 Siste precor. Quae sponsa prius,  
 16 jam vult serva vocari.  
 17 En : tradit sua, seque tibi,  
 18 fallor : debita reddit ;  
 19 depositum Dotemque meam  
 20 credam tutius ulli ?  
 21 Laetitiae, pro, quanta seges  
 22 nostri cordis in arvo  
 23 crescit ! Numen arat, Numen  
 24 semen pingue ministrat.  
 25 Gaudia non minuent poenae :  
 26 sed cum fenore crescent.  
 27 Magne opifex, sum cujus opus  
 28 rubra fictile terra :  
 29 te figulum, quem vasa tremunt,  
 30 supplex osculor Urna.  
 31 Parva quidem, tua parva tamen,  
 32 o si messis odora  
 33 plena, Palaestini que recens  
 34 impleretur olivi !  
 35 Ut semper succensa flagret  
 36 clari lampas amoris,  
 37 illum non ego semper amem,  
 38 qui me primus amavit !

P10\_2 v.1 Sic Mens hoc diluculum transit meditando  
 2 sed ad primam transferens vocem exaltando,  
 3 tempus acceptabile pie ruminando :  
 4 in quo venit Dominus carne se velando  
 5 tunc liquescit anima tota per amorem,  
 6 pavida considerans omnium Auctorem,  
 7 vagientem Puerum, juxta nostrum morem :  
 8 et curare veterem velle se languorem.

PHILOMELA EXPENDIT BENEFICIUM INCARNATIONIS, PRIORE MAIUS ET ADMIRABILIS...

P11\_1 v.1 Esse, non prodest. Bene ni det esse,  
 2 qui dedit nasci. Potiore semper  
 3 munus acceptum melius fit usu,  
 4 qui valet, vivit. Mala vita nulla est,  
 5 improbos postquam digitos Adamus  
 6 misit in pomum ; vetitoque dentes  
 7 noxius morsu stupefecit error :  
 8 nempe praestabat, jacuisse rubra  
 9 semper in gleba genus et parentem.  
 10 Ni Deus primae monumenta culpae  
 11 mallet humano soluisse vultu.  
 12 Filius magni, sine matre, Patris.  
 13 Filius castae, sine patre, Matris.



14 Ut gradum lapsae stabiliret Evae ;  
 15 prodiit clausa puer e tenellae  
 16 Virginis alvo.  
 17 Quae, simul Phoebus face largiore  
 18 imbuit campos, pepulitque noctem ;  
 19 in sui nido meditatur horti ;  
 20 et canit totis Philomela venis.  
 21 Haec pavens secum. - Quid enim coegit

## ANIMA.

22 Orbis auctorem fieri, quod auctor  
 23 fecit ! Infantem video Tonantem !  
 24 Ergo dignatur meus esse frater,  
 25 stirpis Inventor ! Variatur ordo,  
 26 lexque Naturae sine more versa.  
 27 Huc ades fausto pede curiosum  
 28 vulgus, et rebus satiare miris  
 29 tempus, Aeternum ; spatioque circum-  
 30 -scripsit immensum locus. Ecce majus  
 31 circulo punctum, pharetraque telum.  
 32 Glareae grano minor est Olympus.  
 33 Cuncta qui fuis sepelivit undis.  
 34 Siccus inclamat genitricis uber,  
 35 clausit angusti mare ripa ventris :  
 36 nec tamen toto tumuit profundo.  
 37 Qua patet Caelum, manus una stringit.  
 38 Vagit, horrendo solitus fragore  
 39 imbrium foetas lacerare nubes.  
 40 Debilis Virtus tremit ante taurum.  
 41 Liberos olim validosque ad ictum  
 42 fasciae molles cohibent lacertos.  
 43 Sulphur, in quinas jaculatus urbes  
 44 ignis, in feno stipulaque friget.  
 45 Mutus est, linguae faber eloquentis :  
 46 floridi, nudus, reparator anni.  
 47 Gaudium maeret : gemit ipse Risus.

P11\_2 v.1 Florans ergo clamat : o fons Pietatis !  
 2 Quis te pannis induit dirae paupertatis ?  
 3 Tibi quis consuluit, si te dare gratis ?  
 4 Nisi zelus vehemens, ardor Caritatis.  
 5 Digne zelus vehemens est hic ardor dictus :  
 6 cujus est dominio Rex caelorum victus.  
 7 Cujus sanctis vinculis captus, et constrictus,  
 8 pauperis Infantuli pannis est amictus.

## VIS AMORIS DEUM EX SOLIO IN STABULUM DEIICIENTIS. ANIMA.

P12\_1 v.1 Qui te, Maxume Parvule,  
 2 indutum lacera sindone viderit.  
 3 Singultabit, et ingemet.  
 4 Certe tu Pietas. Ah ! nimis impare  
 5 clausit crudus Amor casa,  
 6 assuetum patriae sedis iaspidem,  
 7 et currus premere aureos.  
 8 Sit caestu, gladioque, et jaculis Amor  
 9 et luctamine fortior.  
 10 Eheu, quam minimum comis et aulicus !

11 Rus est ; rus olet horridum.  
 12 Victrix Flamma tui, nec superabilis,  
 13 quod nomen sibi vendicat ?  
 14 Ardoris picei, turicremae facis,  
 15 an veri quoque fulminis ?  
 16 Hoc aequale, reor, viribus. Alterum  
 17 quodcunque, est meritis minus :  
 18 non admittet Amor, laude superbiae.  
 19 Caelo par aliquis datur,  
 20 an terris domitor ? Subjugat omnia.  
 21 Cursus rector Olympici,  
 22 tot palmis validi roboris inclutus  
 23 et manus dedit et pedes.  
 24 Infans, ecce, Deus : more bidentium  
 25 lino paupere stringitur.  
 26 Cum Verbum sileat, quis poterit loqui  
 27 panno jam tegitur rudi,  
 28 qui vestit crocea cyclade sidera.

P12\_2 v.1 O praedulcis Parvule, Puer sine pari.  
 2 Felix, cui datum est, te nunc amplexari  
 3 pedes manus lambere, flentem consolari.  
 4 Tuis in obsequiis jugiter morari.  
 5 Heu me ! Cur non licuit mihi demulcere,  
 6 vagientem Parvulum, et cum flente flere.  
 7 Illos artus : teneros sinu confovere :  
 8 ejusque cunabulis semper assidere.  
 9 Puto, pius Parvulus haec non ab horreret :  
 10 imo more parvuli forsitan arrideret.  
 11 Et flenti pauperculo, fletu condoleret :  
 12 et peccanti facile venia faveret.

PHILOMELAE CANTUS AD BETHLEMIAS CUNAS, SIVE ANIMAE GAUDIO LIQUESCENTIS IN PUERUM IESUM AMOR.

P13\_1 v.1 Parvule Solis  
 2 purior igni :  
 3 Pusio sudis  
 4 clarior astris.  
 5 Christe rubenti  
 6 pulchrior ostro.  
 7 Parvule verna  
 8 gratior aura.  
 9 Pusio miti  
 10 dulcior uva.  
 11 Christe Britanno  
 12 mollior agno.  
 13 Qui tua posset  
 14 membra fovere,  
 15 stringere palmas,  
 16 ora tueri :  
 17 binaque (vel si  
 18 sit nimis, unum)  
 19 basia furtim,  
 20 vixque labellis  
 21 carpere tactis,  
 22 ille beatus.  
 23 Heu ! neque nobis

24 flere licebat,  
 25 flente Puello !  
 26 Pauperis, eia,  
 27 qui mihi fulvo  
 28 carior auro.  
 29 Divitis, eia,  
 30 Magna libido est,  
 31 sternere lectum ;  
 32 molliter, eia !  
 33 molliter, eia !  
 34 Comere somnum ;  
 35 dulciter, eia !  
 36 dulciter, eia !  
 37 Fundere cantum ;  
 38 suaviter, eia !  
 39 suaviter, eia !  
 40 Forsitan aequa  
 41 fronte serenus  
 42 riserit infans ;  
 43 rideat, eia !  
 44 Meque Reorum  
 45 protinus atro  
 46 eximet albo.  
 47 Eximat, eia !  
 48 Decidet haerens  
 49 sponte solutis  
 50 culpa catenis,  
 51 decidat, eia !  
 52 decidat, eia !  
 53 Hoc mihi limo  
 54 nictat ocello.  
 55 Nictet et eia  
 56 liberet, eia.

P13\_2 v.1 Felix, qui tunc temporis Matri singulari,  
 2 potuisset precibus ita famulari :  
 3 ut in die sineret semel osculari  
 4 suum dulcem Parvulum, eique joculari.  
 5 O quam libens balneum ei praeparassem,  
 6 o quam libens humeris aquam apportassem.  
 7 In hoc libens Virgini semper ministrassem :  
 8 pauperisque Parvuli pannulos lavassem.

PHILOMELAE. SIVE ANIMA SUSPIRIA AD BETHLEMIAS CUNAS.

P14\_1 v.1 Utinam, volente Fato,  
 2 in ista saecula natam  
 3 aliud tulisset aevum,  
 4 quo Virgo parturivit,  
 5 peperitque Virgo Natum,  
 6 matris suae parentem.  
 7 Ego non procul stetissem  
 8 a Parvuli grabato ;  
 9 genitrice non vetante,  
 10 blandita Pusioni.  
 11 Quoties in ejus ora,  
 12 et in rosas genarum,

13 specie tamen modesta  
 14 timentis involassem !  
 15 Licuisset osculari  
 16 amabilem puellum.  
 17 Licuisset et jocari  
 18 jocante cum puello.  
 19 Vigili nuces dedissem,  
 20 quas educat Tarentum.  
 21 Nisi sponte dormissem  
 22 lactantis ad papillam,  
 23 poteram perita blaeso  
 24 cunas movere cantu ;  
 25 et utrumque tempus alto  
 26 inebriare somno.  
 27 Genitrice provocante,  
 28 mox balneum parassem :  
 29 sed et istud ex recenti  
 30 et puriore lympa.  
 31 Minimum fluenta limo  
 32 turbata noluissem.  
 33 Folio arboris vel uno  
 34 instrata respuissem.  
 35 Ubi bellus ille noster  
 36 expergefactus Infans,  
 37 iterum diem bibisset ;  
 38 tunc pupula reclusa  
 39 ego candidum lavissem ;  
 40 lavisset ipse nigram.  
 41 Scelerum colore foedam  
 42 lavisset ipse Mauram.

P14\_2 v.1 Sic affecta pia Mens sitit paupertatem,  
 2 cibi parsimoniam, vestis vilitatem.  
 3 Labor ei vertitur in jucunditatem.  
 4 Vilem esse saeculi dicit venustatem.

ANIMA DEI NATI AMORIBUS RESPONSURA VIRILE PROPOSITUM. ANIMA.

P15\_1 v.1 Ut ego fulvae pondera gazae  
 2 dives aggestis opibus reponam !  
 3 At Numen eget. Generosa fluant  
 4 vina lesboos mihi per canales !  
 5 Gelidamque bibat Numinis altrix,  
 6 Unde lac factum genito ministret !  
 7 Men Oebalio pota veneno  
 8 ambiat vestis ! Deus, ecce, nudus.  
 9 Cedrinis trabibus laqueata premam  
 10 tecta : te, Jesu, specus hospitalis,  
 11 inter pecudes ! Ego cygneis  
 12 incubem plumis ! Age sponsa mollem  
 13 nitidi lectum linque cubilis.  
 14 Sponsus in caula jacet. Ite nugae,  
 15 quas pretiosas facit ambitio,  
 16 luxus absumit. Mihi vita porro  
 17 callosa placet. Non aerumnas,  
 18 non catenatos metuo dolores :  
 19 hi mihi fuerint sola voluptas.

20 Ipse vertetur Labor in quietem.  
 21 Extra hoc stabulum quidquid video,  
 22 sorde. An caelum rear esse nostro  
 23 pulchrius antro ? Judicet aether  
 24 invidus, sed mi Puerum relinquat.

P15\_2 v.1 Ergo sic infantiam Christi retexendo,  
 2 Horae primae canticum strenue canendo,  
 3 transitum ad tertiam facit, recolendo,  
 4 quantum Christus passus est, homines docendo.  
 5 Tunc cum fletu recitat illius labores,  
 6 sitim, famem, frigora, astus et sudores,  
 7 quae dignanter pertulit propter peccatores :  
 8 dum illorum voluit inno vare mores  
 9 mox amoris flatibus tota concremata :  
 10 oci, oci clamat avis haec beata.  
 11 Mundo mori cupiens ; cujus via lata :  
 12 cui foetet saeculum. Sic est delicata,

CHRISTI POST TRIGESIMUM AETATIS ANNUM LABORES, PHILOMELAE MEDITANTIS MATERIA. AUCTOR.

P16\_1 v.1 Dulcis cum tenero Sole puertia  
 2 creverat in radios viriles  
 3 maturumque diem. Qualis ab aureo  
 4 purpurei fluit ore Maii.  
 5 Vernae ter decies deciderant rosae ;  
 6 spina tamen tibi, Christe, mansit  
 7 censorum rigido tristis aculeo.  
 8 Quo Solymae populos docentem  
 9 Sadoci furor, et frons Pharisaica,  
 10 invidia subeunte, fixit.  
 11 Non centum ora loqui, ferrea non tuo ;  
 12 dicere vox poterit labores.  
 13 Num tardavit hiems ? Num sitis aut fames,  
 14 Noxque sacris vigilata curis ?  
 15 Seu ventus pluvio flaret in aethere,  
 16 bella ciens animosus Auster.  
 17 Aestas seu rapidis solibus ureret ;  
 18 pauperibus comitatus ibas,  
 19 per nimbos glaciemque ; ut male perditos  
 20 erueres, reperire sollers.  
 21 Ultra non gemitum, non querulos pia  
 22 luscinae renet ira planctus.  
 ANIMA.  
 23 Heu, tanti fueras Isacium genus  
 24 et soboles scelerata Judae !  
 25 Defertis gregibus, debuit unica,  
 26 sic, et ovis scabiosa quaeri !  
 27 Hoc sumptu celeris prodigus aleae  
 28 Filius in patriam reduci !  
 29 Torrebat nimius te, miserabilis  
 30 Sponse, calor. An amare nullis  
 31 concessum et sapere est, ne super is quidem  
 32 o igitur faturae atque amantis  
 33 nomen jam placeat dulcius, et mihi,  
 34 ludibrium pretiosus Auctor  
 35 detraxit titulo Numinis hoc opus,

36       stulta, Deo praeunte. Dicar.  
 37       Posthac Munde vale : florida, sed via  
 38       ad properam spatiosa mortem.  
 39       Quas jactes citharas, delicias, opes,  
 40       quando etiam tua tura foetent !

P16\_2   v.1       Clamas ergo Domine. Dulcis praedicator,  
           2       exsulum refugium, pauperum amator.  
           3       Qui es paenitentium pius consolator :  
           4       post te debent currere justus et peccator.  
           5       Justi quippe regula, vitae es doctrina :  
           6       peccatorum spiculum, mira disciplina.  
           7       Fessis et debilibus efficax resina :  
           8       aegris et languentibus potens medicina.

BENEFICIORUM CHRISTI POPULUM SPARSIO. ANIMA.

P17\_1   v.1       Christe, sexcentas, ut amere, causas,  
           2       et dotes, stimulosque solus explēs  
           3       testor aeterni faculas Amoris.  
           4       Te praeter, nihil est amore dignum.  
           5       Melleus sacro fluit ore rivus,  
           6       facundum quoties resolvīs uber.  
           7       Obvius cunctis, facilisque adiri.  
           8       De quovis bene transiens mereris,  
           9       exsules tutam revocas in urbem.  
 10       Largiris patrias opes egenis.  
 11       Quosque damnarunt mala mens et error,  
 12       mulces criminis ex pudore tristes.  
 13       Huic tuae pandis documenta vitae.  
 14       Et legem propria manu resignas.  
 15       Illius praefers pedibus lucernam.  
 16       Ut possint maculas lavare vultus,  
 17       purius vitro speculum coruscas.  
 18       Fessis, ac rabido calore tostis,  
 19       fixus ex alta Cruce spargis umbram.  
 20       Qualem vel platanus comante ramo,  
 21       robur aestivi populata solis ;  
 22       vel malus riguis amica clivis,  
 23       frondium flexu numerosa fundit,  
 24       quae solacia debili propinas !  
 25       Omnium praesens medicina, foedam  
 26       pellis corpore febrium cohortem.  
 27       Te procul morbos abigente, claudi  
 28       certant hinnuleis ferociore.  
 29       Irrigat caecos nova lux diemque,  
 30       insuetum juvat hos videre munus :  
 31       munus et dantem reseratur auris.  
 32       Linguae vincula decidunt solutae.  
 33       Mutus auditur. Potuitque forsan  
 34       (ingrati scelus !) Hunc calumniari,  
 35       cujus attactu didicit loquelam :  
 36       et colludere proditoris ori.

P17\_2   v.1       Primus in hoc Saeculo Caritatis Scholam  
           2       instaurasti, quaerere docens Dei solam  
           3       gloriam : deponere gravem Mundi molam

4 et sic posse perditam redhibere Stolum.  
 5 Sed hanc Stolum temere Mundus irridebat,  
 6 spernens et annihilans, quidquid promittebat,  
 7 tua vere bonitas vices non reddebat :  
 8 imo poenitentibus totum ignoscebat.  
 9 Quippe cui proprium erat misereri ;  
 10 diligi desiderans magis, quam timeri.  
 11 Sed verba, non verbera, praeferens, austeri  
 12 praeceptoris voluit more revereri.  
 13 Hoc in adulterio novit deprehensa :  
 14 quam sit tua pietas scilicet immensa.  
 15 Magdalena sensit hoc ; cum ei offensa.  
 16 Est dimissa : multiplex gratia impensa.  
 17 Et quid multa dicerem ? Quot sunt consecuti  
 18 ejus magisterium : a suis abluti  
 19 vitiis sunt, moribus optimis imbuti,  
 20 et ab hostis in vidi fraude fasti tutii,  
 21 Felix, cui licuit sub hoc praeceptore,  
 22 conversari jugiter : et ab ejus ore  
 23 mel caeleste fugere : cujus prae dulcore  
 24 amaescunt caetera : plena sunt faetore.

OPTIMI MAGISTRI CHRISTI IESU SCHOLA ET DOCTRINA. ANIMA.

P18\_1 v.1 Tandem pulsus animi tenebris,  
 2 micuit verae copia lucis.  
 3 Non ex alto vertice montis  
 4 nebulaeque globo, geminae scriptos  
 5 lapides tabulae, sublime tonans  
 6 trepidum nubes jacit in populum.  
 7 Sed in aprico colle Sionis  
 8 data lex nobis. Non a servo,  
 9 servire docens. Quin ipse palam  
 10 libertatis Deus assertor,  
 11 placido vultu spectandus adest.  
 12 Quidquid mandat. Spirat amorem,  
 13 stimulat votis, instat flagris,  
 14 ducit precibus, terrore trahit :  
 15 mortalis, ama mortalis, ama :  
 16 toties, toties inculcat, ama,  
 17 supplice ritu cole Supremum,  
 18 qui me genuit, qui te fecit.  
 19 Cur indigno vigilas operi  
 20 assuete rotas, heu, servilis  
 21 versare molae ? Ne te scelerum  
 22 pondere curvus patiare premi.  
 23 Exue tristis juga mancipii.  
 24 Et praesectae frusta lacernae.  
 25 Indue primam purgandae stolam :  
 26 qualem nitido candida texit  
 27 stamine virtus.  
 28 Quamquam haec vitae praecepta dabas :  
 29 tamen indocilis sprevit tantum  
 30 fronte rebeli turba magistrum.  
 31 At tu ferulam, Christe, minacem  
 32 Pius intentas parcente manu.  
 33 Si qui culpa rubuere sua,

34 impune rubent neque vindictam  
 35 sentit meritum tormenta nefas.  
 36 Testis mulier turpiter ansa  
 37 jura mariti violare tori :  
 38 a te miras scribente notas,  
 39 postquam ex humili pulvere terrae  
 40 caput erecti, libera dicta  
 41 testis notae Magdalis orae ;  
 42 in te liquido notior aestu,  
 43 et fragrantis pyxide nardi.  
 44 Fama per Urbem diffusa, mihi  
 45 obfuit illi. Simul ac pedibus  
 46 astrata tuis, pudibunda, silens,  
 47 veniam muta voce poposcit.  
 48 Sed tu interior miseram (quis enim  
 49 alius) scite flere docebas :  
 50 madidasque comis tergere plantas.  
 51 Femina clarum specimen magni  
 52 dedit ingenii. Quia vix poterat  
 53 desperatis fidere rebus :  
 54 ut ne tota caderet Causa,  
 55 corpus Domini iudicis unxit.  
 56 Ungite plures. Pulchrum facinus  
 57 iterare licet. Ridet ad ista  
 58 munera praetor, gaudetque capi.  
 59 Felix nimium : cujus ab imis  
 60 eruta fibris crimina, veteri  
 61 cessere loco : niveos contra  
 62 animo mores fixit honestum.  
 63 Hunc nemo veret prope spectari,  
 64 et ab infusi Numinis ore  
 65 juge fluentes haurire favos.  
 66 Tali solus sapiet Jesus.  
 67 Caetera fel et colocynthis erunt.

P18\_2 v.1 Haec, et multa talia, dum Mens meditatur :  
 2 ad reddendas gratias tono praeparatur.  
 3 Ad laudandum Dominum magis in flammatur,  
 4 sicque horae tertiae, cantus terminatur.  
 5 Oci, oci, anima clamat in hoc statu :  
 6 crebro fundens lacrimas sub hoc incolatu.  
 7 Laudans et glorificans magno cum conatu  
 8 Christum, qui tot pertulit suo pro reatu.  
 9 In hac hora Animae ebria videtur.  
 10 Sed circa meridiem, calor cum augetur.  
 11 Ut amoris stimulis magis per foretur ;  
 12 mox ab illa Passio Christi recensetur.

PHILOMELAE LUCTA, SIVE MERIDIES ANIMAE CHRISTIANAE, CHRISTI PATIENTIS MYSTERIIS INTENTAE. AUCTOR.

P19\_1 v.1 Vitae nulla tuae pars, o amabilis  
 2 Jesu, vacat miraculo  
 3 quod secum recinit Mens pia millies,  
 4 intenta semper carmini,  
 5 seu, lux punicea cum dubitabilis  
 6 adhuc in unda fluctuat.  
 7 Seu, cum flammivomis provehitur rotis  
 8 quadriga Solis altior :



9 nunquam populea cessat in arbore  
 10 arguta vox aedonis.  
 11 In terram sed enim quum minimas polo  
 12 umbras jacet meridies !  
 13 Quo sponsum meminit tempore pendulum  
 14 indormiisse stipiti.  
 15 Vae, quantos gemitus sollicitum ciet  
 16 findente cor suspirio !  
 17 Tunc nescit, quid agat ceu quatiat manu  
 18 thyrsum, vagatur ebria.  
 19 Singultus cadit in verba trementia,  
 20 interque rupta saepius.  
 ANIMA  
 21 Dilectumne meum ! Num potuit capi !  
 22 Cur non in enses irruo ?  
 23 Damnatur nocuis cum nebulonibus.  
 24 Pro, qua corona cingitur !  
 25 At non fida satis cedite milites.  
 26 Mors non Amore fortior.  
 27 Vere, sponsus hic est sanguinis. En torum  
 28 lentesce lignum funebre.  
 AUCTOR.  
 29 Has voces ululans, hoc epicedium  
 30 luctante trudit spiritu.  
 31 Hiscens interea succutitur solum.  
 32 Doloris augmentum novi :  
 33 jamque et saxa gemunt, petraque rumpitur  
 34 scissis deorsum cautibus.  
 35 In ferruginea Sol tunica rubet,  
 36 multum priori decolor.  
 37 Squalent, ceu magicis territa cantibus  
 38 truncata Lunae cornua.  
 39 Manes, ut cumulent monstra metus, suos  
 40 commota Tellus egerit.  
 41 Migravitne dies, nec reditum parat !  
 42 Cujus pudore tangitur ?  
 43 Quo Natura ruis ? Quis tua destruit  
 44 turbo repente foedera ?  
 45 Mundus stare negat, quo cecidit loco  
 46 labantis Auctor mortuus.

P19\_2 v.1 Plorans ergo respicit Agnum delicatum,  
 2 Agnum sine macula, spinis coronatum :  
 3 lividum verberibus, clavis per foratum :  
 4 per tot loca lateris fossa cruentatum  
 5 tunc exclamat pia Mens oci cum lamentis.  
 6 Oci, oci, miseram ! Quia meae mentis  
 7 turbat statum pallidus vultus morientis :  
 8 et loquentes oculi in cruce pendentis.

PHILOMELAE LUCTUS, SIVE ANIMA DILECTUM SUUM IN CRUCE MORIBUNDUM DEPLORANTIS AGON. CHORUS.

P20\_1 v.1 Prodite cavis orbibus undae :  
 2 fluat ex toto lacrima vultu.  
 3 Etiam ferrum, Sipyloque rigens  
 4 in corde silex, liquefacta fluant.  
 5 Horrenda meum subit aspectum

6 facies, nunquam sic visa prius !  
 7 Tristis, nimium tristis imago.  
 8 En : virginei velleris Agnus,  
 9 animam mitem laniatus agit,  
 10 ille, ille expers omnis maculae,  
 11 maculis foedos eluit hircos.  
 12 In sceleratos sceleris purus  
 13 incidit hostes. Aspice sertum.  
 14 Perfossa rubent tempora spinis,  
 15 Deus impacto verbere livet.  
 16 Clavisque manus, clavisque pedes,  
 17 ad funestum conducta nefas,  
 18 fodit Latii militis ira,  
 19 me me miseram ! Cur parco genis,  
 20 Crinibus, ori ? Glaciene rigent  
 21 desolatae lumina frontis ?  
 22 Tandem tepidi currite rivi,  
 23 vernasque nives addite vestris.  
 24 Super Hebraeos spatietur agros  
 25 Animae tristi debitus humor.  
 26 Turbida fletu lamenta sonent.  
 27 Heu ! Cui tantum de te licuit,  
 28 generis nostri dulcis Amator !  
 29 Dirus quod non potuisset Arabs,  
 30 non vellet equo Sarmata pastus :  
 31 potuit, voluit pejor utroque  
 32 eadem Gens, quae tibi dilecta,  
 33 inimica tibi.  
 34 En : ut medius pendet ab alto.  
 35 Mens obtutu stupefacta labat.  
 36 Non sustineo cernere flexae  
 37 cervicis onus. Lacero prona  
 38 crine recumbit. Color extinctus,  
 39 Decor occisus, purpura cessit :  
 40 proque rosatum floribus, albert  
 41 in marmoreo violae vultu.  
 42 Lux oculorum, fracti soles,  
 43 lugubre natant. Imminet illis  
 44 suus occasus mihi vero, mihi  
 45 imminet idem, noxque profunda.  
 46 Meus ille, meus moritur sponsus.  
 47 Moritur, per quem vivimus omnes.  
 48 Iterum atque iterum lamenta sonent.

P20\_2 v.1 Siccine decuerat, inquit te benignum  
 2 Agnum, mortis exitum pati tam indignum,  
 3 sed sic disposueras vincere Malignum :  
 4 et hoc totum fastum est ob Amoris signum,  
 5 haec amoris signa fune : et postrema primis  
 6 copulans associat, summa figens imis  
 7 monstrans ut sic moriens, animales nimis :  
 8 dum te totum funderes tot apertis rimis  
 9 Tu amicus novus es, tu es novum mustum.  
 10 Sic te vocat Sapiens, et est satis justum.  
 11 Totus enim Filius reddent dulcem gustum,  
 12 fundens carnis dolium, licet vas venustum.

## AMOR IESU CHRISTI IN CRUCE IMMOLATI. ANIMA.

- P21\_1 v.1 At non sic decuit mori  
 2 Agnum, siderei gregis  
 3 campos per Solymos ducem.  
 4 O crudelis Amor ! Tuo  
 5 instinctu voluit capi.  
 6 Ac perferre necem. Tuo  
 7 tinxit imperio trucis  
 8 cultros invidiae cruor.  
 9 Aram cum Crucis arduae  
 10 insons imbuit hostia.  
 11 Dilexit nimis. Hoc reus  
 12 solo nomine caeditur.  
 13 Quam miris Amor omnia  
 14 astringens socias modis !  
 15 Summis ima, bonis malos,  
 16 sontes innocuis, feros  
 17 mansuetis, nigra candidis.  
 18 Cum justo ferit impius,  
 19 Agnus quae moriens suo  
 20 sanxit foedera sanguine.  
 21 Quis diffidere jam velit ?  
 22 Firmae pacis ab intimo  
 23 testes pectore profluunt.  
 24 Tralucentibus undique  
 25 rimae visceribus patent.  
 26 Clauso fit latici via.  
 27 Nullo nobilium botri  
 28 vinum truditur ubere,  
 29 o Jesum bibe musteum,  
 30 Mens quae cunque sitis, bibe.  
 31 Rumpit Carnis eburneum  
 32 felix copia dolium.
- P21\_2 v.1 Tantis signis paenitens monitus jam credat :  
 2 quod praecordialiter Christus ei se dat.  
 3 Icta signa recolam, ne me Satan laedat.  
 4 Nam peccati rabiem nihil ita sedat.  
 5 Ista signa recolens. Oci, oci clamo.  
 6 Dulcis Jesu querulor, quod te minus amo,  
 7 stringi tamen cupio disciplinae clamo :  
 8 sicut pro me captus es Caritatis hamo.  
 9 Quantum hamum Charitas tibi praesentavit !  
 10 Mori cum pro homine te sollicitavit.  
 11 Sed et esca placida hamum occupavit :  
 12 Cum lucrari animas te per hoc monstravit.  
 13 Te quidem aculeus hami non latebat :  
 14 sed illius punctio te non deterrebat.  
 15 Imo hunc impetere tibi complacebat,  
 16 quia desiderium esca attrahebat.

## AMORIS DIVINI SIGNA, ET PISCANTIS INGENIUM. ANIMA.

- P22\_1 v.1 Et dubitamus adhuc timidi tot credere signis !  
 2 Non plura Moses edidit,  
 3 cui stetit unda maris.

4 Nudatis disclusa patent praecordia costis :  
 5       arcana Sol introspicit.  
 6       Et dubitamus adhuc !  
 7 Non ego sic. Volitans divinum amplectar asylum :  
 8       ne praeda saevo vulturi  
 9       dilaceranda cadam.  
 10 Oti blanda quies, dulcedo nobilis oti,  
 11       recepta cordis angulo  
 12       mens Philomela canit.  
 13 O site, Jesu, magis et magis : ah, quid amarem !  
 14       Quamvis periculosa res  
 15       jam sit, amare nimis.  
 16 Ut taceam insidias. Tu certe captus es hamo,  
 17       piscator hunc tetenderat  
 18       ingeniosus Amor :  
 19 me tacitis captam praefigens fraudibus escam.  
 20       Mordere, mors certissima,  
 21       ipsaque pestis erat.  
 22 Illecebras posuere Animae tibi, Christe, guloso,  
 23       qui mitis Agnus ambulat :  
 24       Quando natus, lupus es.  
 25 Sed nec inescatum te mors appensa latebat :  
 26       interritum nec lubrici  
 27       detinuere doli.  
 28 Hausisti secreta sciens ac vincula liber.  
 29       Tanto placebat letifer  
 30       hamus amore mei.

P22\_2 v.1 Ergo pro me misera, quam tu dilexisti,  
 2 Mortis in aculeum sciens imegisti :  
 3 Cum te Patri victimam sanctam obtulisti :  
 4 et in tuo sanguine sordidam lavisti,  
 5 Quis miretur igitur, pro te si suspiro :  
 6 juncta sine meritis tam zelanti viro,  
 7 nam affectum alit is meum modo miro :  
 8 pro me vitam finiens exitu tam diro.  
 9 Vere, jam non debeo tantum suspirare :  
 10 imo juxta verbum Job crines lacerare.  
 11 In caverna lateris nidulum parare :  
 12 et extremum spiritum illic exhalare.

ANIMA ANTE DILECTI SUI IN CRUCE MORTUI FUNUS LAMENTATIO. CHORUS.

P23\_1 v.1 Ergo nocuit tibi dirus Amor,  
 2 nimium blandus, nimiumque ferox  
 3 in tua, Jesu, fata tyrannus !  
 4 Ego vilis, inops, rea furtorum  
 5 dignaque laqueo. Tu deprensae  
 6 aliena volens delicta luis.  
 7 Ego mortalis : sed tu moreris,  
 8 toto leti pondere pressus.  
 9 Cadis irato victima Patri,  
 10 potius, potius mihi parsuro ;  
 11 quam quem Sapiens uterus mentis  
 12 genuit similem, genuitque parem.  
 13 Hujus thermis ego sanguineis,  
 14 indigna, fui digna lavari :

15                   sum tota tamen !  
 16       Te te vigili suspiro face :  
 17       vacuum noctu dum lustrum torum.  
 18       In te gemitus non inventum  
 19       Lacrimae que calent. Ah ! Debueram  
 20       Crucis in duro quaerere lecto.  
 21       Hic noster eras : oblite tui.  
 22       Memor usque mei. Refer o saltem  
 23       ingrata vices. Sed sero nimis :  
 24       jaculor moesto pectore vota,  
 25       non ignotos aditura viros.  
 26       Mea meta, Deus : cui meta fui  
 27       dulce vibranti vulnus amoris :  
 28       qui praevalida tamen ipse jacet  
 29       modo confixus cuspide mortis.  
 30       Utinam tecum, Sponse, perempta,  
 31       et Romulidum graviore manu,  
 32       dum tu nulla, caesa fuisset !  
 33       Eheu ! Quorsum desiderii  
 34       plangor inanis ? Cessant ne manus  
 35       incompositos vellere crines ?  
 36       Sulca meritas miseranda genas.  
 37       Irrue scopulis, conscende rogam.  
 38       Mergere rapidis male sana fretis.  
 39       Nisi dilecti tumulto malis  
 40                   mortua jungi.  
 41       Adsto vivi funeris instar,  
 42       verum nimis, ah, ante cadaver !  
 43       Ubi thesaurus, mea vita latet.  
 44       Video rigidis sentibus horrens,  
 45       dignum sero meliore, caput,  
 46       video plagas quinque rubentes.  
 47       Hiat in medio vulnus apertum.  
 48       Fluit inde cruor permistus aqua.  
 49       Quamvis totis viribus actam,  
 50       tamen erumpens, non sine sonitu,  
 51       calidi largus sanguinis imber  
 52                   reppulit hastam.  
 53       Video, video lateris nidum :  
 54       in quo recubans moriar, moriar.

P23\_2   v.1       Plane, nisi moriar, tecum non quiescam :  
           2       oci, oci clamitans, numquam conticescam.  
           3       Ab hoc desiderio vere non tepescam :  
           4       quantumcunque Saeculo propter hoc vilescam.  
           5       Tunc, ut demens clamitat ; veniant lanistae,  
           6       qui affigant miseram Cruci tuae, Christe  
           7       erit enim exitus mihi dulcis iste :  
           8       si amplectar moriens propriis ulnis te.

ANIMA CHRISTO COMMORITURA DECRETUM. ANIMA.

P24\_1   v.1       Adhuc superstes dego : nec possum mori !  
           2           Hoc quae profana vis vetat ?  
           3       At non quiescam, donec, obtenta nece,  
           4           meo quiescam in pulvere.  
           5       Insana credar, atque vilescam, licet.

6 Et totus Orbis rideat :  
 7 cupio molestas lucis invisae mihi  
 8 ferro moras abrumpere.  
 9 Lux cessit, occumbente Christo publica ;  
 10 privata, non est dignior.  
 11 Moriamur. Umbris et sepulcris audias  
 12 locum daturis funeri.  
 13 Ubi sunt secures, torva lictorum cohors ?  
 14 Morantur arma stringere !  
 15 Veniant in unum mille tortores caput :  
 16 corpusque configant Cruci.  
 17 Amplectar ulnis memet amplexum prius,  
 18 quid posset esse dulcius ?

P24\_2 v.1 Vere sic, non aliter, rabies doloris,  
 2 qua Cor meum singulis terebratur horis,  
 3 deliniri poterit : nisi tu dulcoris.  
 4 Fons abundans, medicus mei sis doloris,  
 5 plane dulcis medicus es, qui nunquam pungis :  
 6 sed a corde vitium leniter emungis.  
 7 Nam quos tibi firmiter per amorem jungis ;  
 8 tuis charismatibus eos semper ungis.  
 9 Heu ! Quam damnabiliter Mundus est caecatus :  
 10 qui cun. Sit ab hostibus dire vulneratus,  
 11 hunc declinat medicum, cum adsit paratus,  
 12 languido aperiens suum dulce latus.

ANIMA GRATA IN CHRISTUM MEDICUM AMOR PROPTER HOMINES INGRATOS DOLOR. CHORUS.

P25\_1 v.1 Quis mei sedet rabiem doloris ?  
 2 Ille pervasit penitus medullas,  
 3 ille ceu pecten, vel acuta dentis  
 4 serra discindit, terebratque pectus.  
 5 Turbido cur se dolor iste motu  
 6 vertit in flammis volucres camini !  
 7 Namque grassatur : velut in vepreto  
 8 ignis incensus, corylisque circum  
 9 pastus, ardentes rotat ire sulcos.  
 10 Quod magis miror, lacrimis fovetur ;  
 11 crescit affusis alit unda bustum.  
 12 Estne spes aegro super ulla cordi ?  
 13 Sponse, tu fons es. Scatebra salutis  
 14 irriga venas : et hiantis aestum  
 15 vulneris, sparsa moderare lympa.  
 16 Sponse : tu fama celebrem Galenum  
 17 vincis, et quosvis titulos medentum.  
 18 Caeteri falsa specie, dolores  
 19 corporis, pellunt alio dolore.  
 20 Lene tu tractas, animique morbum  
 21 Lene demulces ; sed abire cogis.  
 22 Vina suffusam domitura tabem,  
 23 teque permisces oleo recenti :  
 24 durus in solam Samarita Mortem.  
 25 Heu ! tamen nullo pretiosus ostro,  
 26 publicas regum graderis per aulas,  
 27 pauperis plerumque comes catervae,  
 28 vilis ignotus. Vagus exsul erras.

29 Incolae Mundi, tenebris, et atra  
 30 nocte merguntur nihil aestimaris.  
 31 Carius vendit leve sulphuratum  
 32 Verpus, et bulbos, et adesa pruna.  
 33 In foro pluris fit agyrta Maurus !  
 34 Siquis orcini saniem cerebri,  
 35 aut strigum plumas, magicique laudat  
 36 ore mendaci vitra plena fumi.  
 37 Balsamum caeli, proprias beatae  
 38 insulae merces, radios honestae  
 39 lucis ac vires homo talpa spernit.  
 40 Plaga non terret decumana caecum :  
 41 saepe delectat cupidum perire.  
 42 Utque festinet petulans sub umbras,  
 43 hostis in ferrum ruit, et cruento  
 44 saucius telo, sua Fata quaerit,  
 45 ac fugit vitam licet ipse promptam  
 46 offeras artem, laterisque nudi  
 47 hos in effusum medicamen usus :  
 48 respuit purum sceleratus haustum.  
 49 Et malo parcens, metuit valere.  
 50 Nulla sic urget miseros veneni  
 51 vis : ut insanum cruciat volentem  
 52           blanda voluptas.  
 53 Morbus hic, nullis, Amor et libido,  
 54           tollitur herbis.

P25\_2 v.1 Heu cur beneficia Christi Passionis,  
 2 pones te memoriter Homo non reponis ?  
 3 Per hanc enim rupti sunt laquei praedonis :  
 4 per hanc Christus maximis te ditavit bonis,  
 5 suo quippe corpore languidum te pavit :  
 6 quem in suo sanguine gratis balneavit.  
 7 Demum suum dulce Cor tibi denudavit :  
 8 ut sic innotesceret, quantum te amavit.  
 9 O quam dulce balneum, esca quam suavis !  
 10 Qua sumenti digne fit Paradisi clavis.  
 11 Est ei, quem efficis, nullus labor gravis.  
 12 Licet sis fastidio cordibus ignavis.  
 13 Corignavum siquidem minime perpendit :  
 14 ad quid Christus optimum suum Cor ostendit,  
 15 super alas positum Crucis : nec attendit,  
 16 quot reclinatorii vices hoc praetendit.

PASSIO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI IN CHOROS PARTITA.

DE INGRATITUDINE MORTALIUM DIVINI AMORIS MYSTERIA NON CONSIDERANTIUM. CHORUS I.

P26\_1 v.1 Nondum ingrati pigra terrigenae  
 2 otia linguunt. Nondum ex oculis  
 3 squamae nebulis cecidere pares.  
 4 Resides animos sopor altus habet :  
 5 et adhuc tristis caligo gravat.  
 6 Nam quis acerbae proelia mortis,

7 fortiter ipsi certata Deo.  
 8 Secum memori mente revolvit ?  
 9 Quotus in Christi rapitur laudes,  
 10 orisque tubam et pectoris efflat ?  
 11 Quotus infernae portenta domus  
 12 capta trahenti, Paeana canit ?  
 13 Ille nocentes victor Averni  
 14 rupit laqueos, et dispositas  
 15 a Tartareo praedone plagas,  
 16 ille sepulcro liber, in auras  
 17 debellato prodiit hoste,  
 18 cinctus spoliis : sparsitque sui  
 19 larga per Orbem dona triumphii.  
 20 Sed et ante necem. Nonne vocatos  
 21 epulo grandi pavit amicos !  
 22 Ipsemet in quo structor et hospes  
 23 dignatur edi : similisque suo  
 24 convivanti ponitur esca.  
 25 Quamquam haud ideo refugos Titan  
 26 avertit equos : visaque pavens  
 27 dape non solita, jubar attonitum  
 28 parat Eoo mergere ponto.  
 29 Hunc nempe cibum, non crudelis  
 30 impetus irae ; sed suasit Amor,  
 31 invenit Amor ; sed coxit Amor.  
 32 Ut cenet Amor.  
 33 Illius idem stimulis actus,  
 34 tibi, mortalis, Martis ab utero  
 35 in nativa labe jacenti,  
 36 quale lavacrum sanguine mixta  
 37 calefecit aqua ! Nudat lateris  
 38 penetrabile sacrum, sparsosque favis  
 39 pectore toto proflat amores  
 40 quisquamne pari stantia sumptu  
 41 balnea vidit ? Nectar in ullo  
 42 gula symposio dulcius hausit !  
 43 Properent omnes, quibus arrigitur  
 44 pretiosa sitis, pretiosa fames,  
 45 si digna tamen. Dabitur mensis  
 46 grata remotis visere Tempe.  
 47 Nemus Elysium pandet amoeni  
 48 septa recessus. Tu modo mappae  
 49 epulans stratae succute quadram,  
 50 supposita latet gemmea clavis.  
 51 Hac, Caelicolum sorte licebit  
 52 aperire seram nobilis Horti,  
 53 ubi divino turgida musto  
 54 Nova dilecti vinea fragrat.  
 55 Totus ab una fluit Autumnus  
 56 mellifer uva. Cui gutta sapit,  
 57 bibit immensum sobrius aequor.  
 58 Lux continuo jucunda subit,  
 59 redeunt vires : taedia cessant.  
 60 Verno sanguis flore coruscat.  
 61 Venae flamma saliente micant.  
 62 Infidus, iners, sceleratus Homo.  
 63 Tamen haec pedibus munera calcat :  
 64 velut insano percitus oestro,



65 aut Lethaeo gurgite potus.  
 66 Heu, virgineis foeda racemis  
 67 labrusca Cypri ; dulcique mero  
 68 putris stagni praefertur aqua !  
 69 Talem populi regumque capax  
 70 urceus haurit. Neque sentinam  
 71 libare sat est. Stygias pleno  
 72 concita vento navigat undas  
 73 furiosa sitis.  
 74 Quoquo ruimus, mortale genus :  
 75 si cui nondum cornea fibra est :  
 76 neque damnoso plena veterno  
 77 tempora torpent ; age, quae temere  
 78 spernunt alii : dispice, quo sint  
 79 parta labore.  
 80 Hominis causa, tormenta Deus  
 81 tulit, humano graviora metu  
 82 leviora, Dei contemptor Homo,  
 83 Causaque sui, ferre recusat.

CHORUS II. CUM ARMIS ET INSTRUMENTIS DOMINICA PASSIONA...

ARGENTEI.

P26\_2 v.1 Hoc argento vaeniit ille.  
 2 Cujus primo caput ex auro,  
 3 nullam poscens fronde coronam,  
 4 ipsum semet tale coronat.  
 5 Paucis nummis merx tanta stetit !

FACES, LATERNAE.

6 Claris facibus Judaea cohors  
 7 dum vult tenebras pellere noctis :  
 8 tenebras mentis duplices spissis  
 9 nubibus auxit.

OSCULUM IUDAE.

10 Duo concurrunt, aspice, vultus.  
 11 Se se Mors et Vita salutant.  
 12 Atra diei Nox dicit, ave.

GLADIUS PETRI.

13 Gladii dominum fugisse scio,  
 14 postquam Malcho messuit aurem.  
 15 Poterat vili parcere sevo,  
 16 sic parsurus forte Magistro.  
 17 Nam dum trunco reddit capiti  
 18 Decus abscissum ; medicus capitur.  
 19 Nocet ingratis prodesse, nocet.

VINCULA.

20 Torti funes, nexa catena.  
 21 Libertatis vinxere ducem :  
 22 ut perpetui pedicis leti  
 23 homicidia nocens liber abiret.

CIROTHECA FERREA.

24 Vultus hilari luce decori

25       cataphracta genas palma cecidit.  
 26       Rectius omnes, impure. Tua  
 27       facies plagas, leno, tulisset.

COLUMNA, VIRGAE, FLAGELLA.

28       Stupeant caeli fulcra, columnae :  
 29       vester ad istam loris Opifex  
 30       caesus, et ulmis, tremuit molem :  
 31       duplicique rubens, sanguinis inde,  
 32       Inde pudoris vulnere, nudus  
 33       tulit innumeros crepitu densae  
 34       grandinis ictus. Secuere flagra  
 35       niveum corpus : donec totum  
 36       cruor effusus nimium caro  
 37               tinxerat ostro.

VESTIS ALBA ET COCCINEA.

38       Fatui probrum, carbasus alba :  
 39       risus lixae, purpura mendax ;  
 40       Domini vestes, mystica signa,  
 41       salvete mei. Tibi cedit ebur  
 42       sectum elephanto candente recens.  
 43       Tibi cervicem minio pictam  
 44       rosa submittit. Non mentitus  
 45       color albus erat. Decet insontem.  
 46       At non decuit, ruber attrito  
 47       murice pannus, proavis clarum  
 48       de Jessaea stirpe Nepotem.  
 49       At non decuit sordida Regem.  
 50       Nec tam soliti sanguine piscis,  
 51       quam tincta suo lana ferentis.  
 52       At non decuit purpura Tyrii  
 53       ficta coloris : qui Sidonem,  
 54       totamque Tyrum, non ficta loquens,  
 55       veniae facilis, tibi Bethsaida,  
 56       Mota Judex praetulit urna.

CORONA SPINEA.

57       Hoc, quale vides, pressit Regem  
 58       diadema tuum, fulget acutus  
 59       utrimque lapis, ferus in mediis  
 60       sentibus istas reperit gemmas  
 61       lictor, et alto vulnere fixit,  
 62       En : ut radiant, rhamnus iaspis,  
 63       paliurus onyx, spina smaragdus !  
 64       Tanto posthac verius omnes,  
 65       Homo, divitias, regnaque Mundi  
 66       opulenta, potes dicere spinas.

ARUNDO.

67       Hoc majoris Salomone fuit  
 68       sceptrum, an sceptri vilis imago !  
 69       Catulus Judae, populus nequam,  
 70       cessa : nihil hoc agis invento,  
 71       quod te puduit dicere verum,  
 72       loqueris facto, facis ignarus.  
 73       Christum, Regem vesane negas :  
 74       tamen agnoscis, signoque tuum,

75 licet indignans esse fateris.  
 76 Fragilis regni fragile est sceptrum,  
 77 quale palustris praebet arundo.  
 78 Dic, te stabili sedisse throno :  
 79 quem captivam mox post Solymam,  
 80 fregit Latia Roma securi.

GALLUS GALLINACEUS.

81 Gallus cecinit. Petre, negasti.  
 82 Hinc ex oculis flumina manant,  
 83 gemitusque truces cordis amari.  
 84 Multi exemplo periere tuo :  
 85 multis lacrimas concede tuas.  
 86 Pauci exemplo sapere tuo :  
 87 nullis flendi tanta libido est.

POLLUBRUM PILATI.

88 Sic lavisti, Pilate, manus !  
 89 Desine turpem purgare metum.  
 90 Animum nitida maculas lymphæ.  
 91 Non re Tiberis, qui Caesareo  
 92 nomine tumidus, pavidum caeco  
 93 terruit aestu : non Oceanus  
 94 immane patens eluet umquam,  
 95 super affuso gurgite toto.  
 96 Dire lepidus praeses, eundem  
 97 absolvis aqua, sanguine damnas,  
 98 ad vota reum. Caetera vano,  
 99 hoc te solum es iudice justo,  
 100 verus testis, praetor iniquus.  
 101 Ergo nocuis traditur insons !  
 102 Nullius erat melior Causa :  
 103 nullaque pejus decisa fuit !

VELUM VERONICAE.

104 Occurrentis Domini faciem,  
 105 jam letali tabe madentem,  
 106 hoc extersit femina peplo :  
 107 alio lacrimas tersura suas.  
 108 Stirps, Adamidae, generosa, Deum  
 109 vestra pictum spectate manu.  
 110 Talem sudor pulvere mistus  
 111 dedit effigiem territa Mater  
 112 ex qua Natum tam bene potuit  
 113 nescire suum, quam scire suum.  
 114 Ah, quae species, quis vultus erat !  
 115 Cum servilis grave supplicii  
 116 extra portam gestaret onus :  
 117 simul oppressis poneret humeris,  
 118 gestandus eo. Per, tat eunti  
 119 dura viarum, datur ista quies !

IMAGO CHRISTI SUB CRUCE.

120 Trabe sub querna, calcibus icti  
 121 cecidere solo ! Quos prae Pario  
 122 marmore quondam laudare pedes  
 123 sponsa solebas impulsa quibus,  
 124 velut a vento, Terra movetur :

125 et concussus nutat Olympus.

CLAVI.

126 Clavi fixas tenuere manus ;  
127 sidera doctas errabunda  
128 instar volucris versare pilae.

TITULUS CRUCIS. I.N.R.I.

129 Auctor vitae, titulum mortis  
130 fert, ecce, suae, si, quia Rex est  
131 Judaeorum, moritur quisquam :  
132 ante tribunal gentis Hebraeae,  
133 etiam vitio dabitur, nasci.  
134 Jam debuerant ergo sepulcrum  
135 ipsae Infantis fieri cunae.  
136 Furor Herodis, qui Nazarenum  
137 voluit Puerum tollere ferro ;  
138 non exaequat, Pharisaeae, tuum.  
139 Justius hujus fuit, et media  
140 vix parte, nefas tu quippe virum  
141 illa perimis perfide causa :  
142 propter quam non vivere tantum.  
143 Sed et in solio vivere dignus.  
144 Et morte tua servandus erat.  
145 Quae te, quae te lustrabit aqua,  
146 Flamma piabit, sacrificia sacrum  
147 supra saxum mactanda cohors ?  
148 Vah, Pontifices quos culpa juva  
149 non nisi summa rabie nullam  
150 habitura parem, discorsque sibi.  
151 Ex quo primus nocuit latro ;  
152 magis hac una caede nocentes,  
153 quam sint omnes caede nocentes.

ALEA.

154 Saltem ludens Homo disce, Deum  
155 esse in pretio. Prostat avaris.  
156 Cupidus lucri, non audito  
157 more Satelles, spirantis adhuc  
158 quamquam renues rapit exuvias.  
159 Supra tunicam : sed quid tanta  
160 opus est inter damna referre  
161 etiam vestes ? Quando insontis  
162 super et vitam, ludente manu  
163 alea jacta est.

SPONGIA.

164 Unde Isaciae tigridis animus  
165 subito mitis ? Moribunda, viden,  
166 aliquis sicci proluit ora !  
167 Fallor ? An uvam praebet agrestem !  
168 Heu triste nefas ? Praebet acetum.  
169 Viridem quisquis porgere cannam  
170 ausus es. Utinam fias potus  
171 pincerna tui, totumque bibas.  
172 Sitiens, merito respuit haustum.  
173 Non quod amarus : sed, quod amaro  
174 dantis ab animo, rabidae virus

175 duxerat anguis, felque draconum.

LANCEA.

176 Lancea, nulli prius accessum  
177 expugnavit tremebunda latus.  
178 Adytum templo sanctius ipso,  
179 secretas Dei manifesta patent.  
180 Arx jam nulla est munita satis.  
181 Ipsum caelum rapiunt fures :  
182 ipsi subeunt astra latrones.

SCALAE.

183 Scala patiens non indignit :  
184 Crucis optatum supra thalamum  
185 quatuor clavis affixus humi.  
186 Mox sublatus stipes in altum  
187 una secum et membra levabat.  
188 Ubi Mosaicus, veluti serpens,  
189 falsusque reus veros, inter,  
190 medius caeli, medius terrae,  
191 jungens imis summa, pependit.  
192 Tibi, si nescis, assecla Christi.  
193 Scala relicta est : ut, iners avium  
194 quoniam plumas Natura negat ;  
195 huc pedetentim ascendere possis :  
196 votoque necis propiore frui.

AD CHRISTIANOS. CHORI DUO.

CHO. I.

P26\_3 v.1 Imus ad ipsum stare cacumen ?  
2 An, quod vereor, meta salutis  
3 pigros terret nimis alta pedes ?  
4 Quo praecessit tramite ductor,  
5 pudet ergo sequi !  
6 Hominem potuit Numen amare.  
7 Certe, non est oculatus Amor.

CHO. II.

8 Amor auxilii vidit egentem.  
9 Nemo minus est caecus Amore.

CHO. I.

10 Homo dilectus sprevit amantem.  
11 Tenuis res est, et vilis, Amor.

CHO. II.

12 Amor ingratum coget amare.  
13 Dulcis vis est, et suavis, Amor.

CHO. I.

14 Deus occubuit perditte amando :  
15 Quis jam fortem credat Amorem ?

CHO. II.

16 Deus iratus cessit Amori !  
17 Nemo fortis, praeter Amorem.

CHO. I.

18 Odit nullo dignus amore.  
19 Nulli posthac fidere possis.

CHO. II.

20 Odio justo dignus, amatur.  
 21 Nullus post hac inimicus erit.  
     CHO. I.  
 22 Homo fastidit Numen amare.  
 23 Ah ! Cur donum accepit amandi ?  
     CHO. II.  
 24 Nolit, velit, invitus amabit.  
 25 Nihil inveniet pulchrius illo.  
     CHO. I.  
 26 Miserum, turpem Numen amavit.  
 27 Nescio, quo jam nomine possit  
 28 dici vere, Sapiens et amans.  
     CHO. II.  
 29 Desiste loqui. Quae monstra sonas ?  
 30 Pudet effari barbara verba.  
 31 Stridore pias feriunt aures.  
 32 Quatit emotam tonitru mentem.  
 33 Trepidus fulmen perculit artus.  
 34 Coma dirigit fronte relictam.  
 35 Salsus manat corpore sudor.  
 36 Torpent spisso sanguine venae.

P26\_4 v.1 Hoc reclinat orium, quoties monstratur  
 2 piae menti, toties ei glutinatur.  
 3 Sicut et accipiter totus inescatur  
 4 super carnem rubeam : per quam revocatur.

CRUX, ANIMA PIA SEDES. CHORI DUO.

    CHO. I.  
 P27\_1 v.1 Melius, melius, Philomela, canis,  
 2 dilecta Deo : tibi dilectum  
 3 amplexa Deum.  
     CHO. II.  
 4 Melius, melius, Philomela, gemis  
 5 affusa Cruci : tibi dilectam  
 6 amplexa crucem. Quoties nidum.  
 7 Seu quadrifidum sponsi thalamum  
 8 erecta vides : flebile toties  
 9 iteras carmen. Dans maerentes  
 10 per colla modos. Lamenta juvant.  
 11 Apud extincti juvat exequias  
 12 usque morari, ceu penna tenax  
 13 eluctari nequeat viscum.  
 14 Juvat alliso lambere rostro :  
 15 siquis ligno sanguis adhaesit.  
     CHO. I.  
 16 Qualis volitans eminus aquila,  
 17 forte cadaver speculata rubrum :  
 18 ocior Euro praedator adest,  
 19 caedis obesae conscius ales.  
     CHO. II.  
 20 Citius, citius, Philomela voles.  
 21 Ad stillantis vulnera Jesu.

P27\_2 v.1 Post hac clamat anima, quasi dementata.  
 2 O reclinatorium, Caro cruentata.

3 Per tot loca propter me. Cur non vulnerata  
 4 tecum sum ? Dum moreris, non sum colligata :  
 5 licet tamen misera istud sit negatum,  
 6 mihi quidem eligam novum cruciatum  
 7 gemitum videlicet, jugemque ploratum :  
 8 donet Mundi deseram gravem incolatum.

DITHYRAMBUS. AMANTIUM MORES ACCOMMODATI AFFECTIBUS ANIMA, AMORE PATIENTIS C...

P28\_1 v.1 Certus jam veteri credo Paroemiae :  
 2 "Amens, omnis amans. Quis quis amat, furit."  
 3 Sit praeter solitum, licet,  
 4 haec insania dulcior :  
 5 tamen est insania : nec se  
 6 trepido Mens continet aestu.  
 7 Audite : quales ore confuso sonos,  
 8 ignara rerum fundat ad pedem arboris.  
 9 Cantum biformem variat : et nunc gaudiis  
 10 interpolatum scindit, Hymenaeum sonans :  
 11 nunc maesta lessum torquet in suspiria.  
 12 Ceu stranguletur. Multiplex, reor, premit  
 13 animum procella : non inundat unius  
 14 vultum ferocem mota tempestas maris.  
 15 Collectus inum turbo subvertit vadum.  
 16 Se numerat ipse luctus, et gestit sibi  
 17 divisus ex tot comparari partibus.  
 18 Flet, ridet, ululat ? Terret, exsultat, gemit.  
 19 Quis credat unam ? Peragit haec impos sui.  
 20 Hiulca ructat et resorbet carmina.  
 21 Neque sic canenda. Sensa quis tot explicet :  
 22 sibi triste soli querula permiscet chaos.

ANIMA.

P28\_2 v.1 Illumne tuum potuisse mori !  
 2 Et te desistere coeptis ;  
 3 me propter sulcata flagello  
 4 terga rubent, scapulaeque virgis.  
 5 Cruor ex lacero corpore finxit,  
 6 velut infusus liquor ex cribro,  
 7 si tibi sanguis inest, quem ferro affundere possis,  
 8 O misera :  
 9 i morere, et tantis Dilecti sumptibus emptam  
 10 redde animam.  
 11 Debita quis mihi Fata negat ?  
 12 Qua merui rea vivere culpa !  
 13 Me quicumque peremeris volentem,  
 14 servanti facies idem, tyranne.  
 15 Sterne, feri, macta : capit omnia vulnera corpus.  
 16 Sive vincis, sive solvis,  
 17 sive caedis, sive parcis :  
 18 ipsa mihi mea poena fiam.  
 19 Donec ero luteo carcere clausa :  
 20 fletus Dolorque lance justa dividunt  
 21 fixa molestae tempora vitae.  
 22 Post hac dulcis Anima, plus et plus fervere :  
 23 sensu toto deficit, corpore tabescens.  
 24 Tam vix loqui sufficit : sed affectu crescens,

25 suo lecto decubat, utpote languescens.

CHORUS.

P28\_3 v.1 Noctes atque dies talibus exigit  
 2 indefessa modis. Has querimonias  
 3 audentem, et fremitu cum miserabili  
 4 luctantem, reperit Stella binominis.  
 5 Seu, cum sera rubens imperat oria :  
 6 seu, cum mane redux otia dissipat,  
 7 non parcus dolor est : se satiat malis.  
 8 Vultus triste riget, cereus aspici.  
 9 Si passu tacito, cum posuit caput,  
 10 accedas propius ; vivere jam neges.  
 11 Tam calthae similis, dissimilis rosae,  
 12 sic immota jacet.  
 13 Assurgitne iterum ? Vel metuit nihil  
 14 talis, vel metuit forsitan omnia.  
 15 Male sana quo puella  
 16 fugis incitata gressu ?  
 17 Cohibe tumultuosum  
 18 animi furentis aestum.  
 19 Qualis rotata buxus  
 20 circumsonante loro ;  
 21 it huc et huc, in orbem :  
 22 perditque mille gyros,  
 23 spondam lassa petit, debilis hic, toro  
 24 incumbens vigili, membra recolligit.  
 25 O felix : solitae ni subeant faces ;  
 26 notam ni repetant taediferi domum.  
 27 Quae tortere jecur coeperit, integro  
 28 non est Oceano flamma domabilis.  
 29 Ergo dulcis gutturis organo quassato,  
 30 lingua tantum palpitat sonitu sublato :  
 31 sed pro verbis pia Mens fletu compensato.  
 32 Lamentatur Dominum corde sauciato.  
 33 Sic languenti siquidem nil, nisi plorare  
 34 libet, et satagere. Corde suspirare.  
 35 Suos enim oculos nescit revocare  
 36 a Christi vulneribus, aut cor separare.  
 37 Sic est autem animus illius illectus :  
 38 quasi ei praesens sit moriens dilectus.  
 39 Et a cruce minime retrahit aspectus.  
 40 Quia ibi oculus, ubi est affectat.

CHORUS.

P28\_4 v.1 Fallor ne ? An sonitum non procul audio ?  
 2 Rursum mota lyrae fila supervolat.  
 3 Vix exorsa ramen, deficit illico.  
 4 Odae praecipites mentis abortiunt :  
 5 lamenta in medio gutture palpitant.  
 6 Linguae trunca noto verba dehiscere.  
 7 Cum Christum cuperet dicere, flebilis  
 8 istum, dixit, amo caetera proluit  
 9 singultus. Sequitur triste silentium.  
 10 Nec, cum nubila dispellere nititur,  
 11 aut risum simulat ; dissimulat mala.  
 12 Instant sollicitis jurgia gaudiis.  
 13 Quamvis caesariem fingat idoneam !



14 Perfrictasque genas tergat, et Indiae  
 15 circumdet nitidis colla monilibus ;  
 16 mimum prodit Amor. Larva notabilis  
 17 Bellatrix facies, signa novissima  
 18 humescentis adhuc retinet Iridis.  
 19 A Christo nequeunt, irrevocabiles,  
 20 aversas oculi flectere palpebras.  
 21 Absentem videt. Absentis imagine  
 22 impressa fruitur. Garrula, cui furis,  
 23 raucis ingeminans nomina vocibus :  
 24 absentem loqueris Caelum habitat tuus.  
 25 Hinc responsa petas illa nihil. Crucem  
 26 infelix piceis apprimat osculis.  
 27 Gemitus, suspiria, lacrimae, lacrima, lamenta,  
 28 sibi sunt deliciae. Cibus, alimenta.  
 29 Quibus nova martyr est interim intenta.  
 30 Sic suo martyrio praebet incrementa.  
 31 In hoc statu respuit, quidquid est terrenum :  
 32 Mundique solatium reputat venenum.  
 33 Sed ad nonam veniens, moritur ad plenum :  
 34 Cum amoris impetus carnis rumpit frenum,  
 35 nam cum, Consummatum est, recolit, clamasse  
 36 hora nona Dominum, et sic exspirasse.  
 37 Quasi simul moriens clamat, penetrasse  
 38 vocem istam suum Cor, atque lacerasse.

## CHORUS.

P28\_5 v.1 Non est conditio peior, amantium.  
 2 Quorum cena, fames ; ambrosia, est sitis,  
 3 vinum, si quod amant, fletibus innatat,  
 4 ducitque ex oculis tristibus alveum.  
 5 Instaurare mero nuper inutile  
 6 corpus jussa, scyphum forte poposcerat.  
 7 Crescentem spatio ventris ianthini,  
 8 plenum porrigimus frigore massico.  
 9 Illa autem aspiciens, nescio quem, cadum.  
 10 Defixamque truci lumine spongiam :  
 11 effuso penitus munere liberi.  
 12 Implevit phialam roscida lacrimis,  
 13 impletamque bibit. Qualiter unico  
 14 raptim fusa trahat caecuba spiritu  
 15 miles, sub calido fidete torridus.  
 16 Hos amens latices, hunc liquidum salem  
 17 potatura, suas delicias vocat ?  
 18 Motatura, suas delicias vocat ?  
 19 Eheu ! conditio tristis amantium.

P28\_5B v.1 Quis juvabit maesta virgo,  
 2 grande vulnus quis levabit ?  
 3 Si manum medentis horres,  
 4 Quis tibi medebitur ?  
 5 Martyr es : sed sponte mira  
 6 martyrum tormenta quaeris.  
 7 Si placer crudele votum :  
 8 Quis tibi medebitur. ?  
 9 Sic doles, ut te dolere.  
 10 Semper optes : atque morbo  
 11 pabulum perenne praebes.

- 12           Quis tibi medebitur ?  
 13           Quidquid offert alma Tellus,  
 14           Mollis unda, purus aer :  
 15           fronte spernis irretorta.  
 16           Quis tibi medebitur ?  
 17           Mellis imber, lactis uber.  
 18           Spuma vini, flos amomi,  
 19           fel videntur et venenum.  
 20           Quis tibi medebitur ?
- P28\_5C v.1       At ecce rursus languido erepit gradu,  
           2       vultumque firmat. Praebet alternis Amor  
           3       adimitque vires. Mox relapsuram solo  
           4       comites tenebunt, Quando paulatim dies  
           5       moribunda cedit, quaeque morienti Deo  
           6       funesta luxit hora : vertigo caput,  
           7       mentemque pronus consciam quatit tremor.  
           8       Ubi namque sponsi spectat extinctum sui  
           9       Vitale sidus, cupit et ipsa exstinguiet,  
 10       oditque lucem : qua duos meminit simul  
 11       obiiste soles. Ac si in aure tinniant  
 12       suprema vocis intonatae murmura :  
 13       mea quoque Vita, clamat, exacta est : mea  
 14       quoque Mors propinqua restat in terris nihil.  
 15       Ut versat oculos, utque discordi face  
 16       rorat cruentos frontis orbes in crucem !  
 17       Et acumen Hastae tractat, et clavum extrahit ?  
 18       An, ut osculetur ? Pectus imo ut transigat.  
 19       Prohibete vulnus rursus in terram labat.
- P28\_5D v.1       Hoc est. Quod toties mihi  
           2       praesagus cecinit timor.  
           3       Intractabilis, effera  
           4       res est, et violens, amor.  
           5       Blando fulmine fervidus :  
           6       Graiis ignibus efficax.  
           7       Divinus quoque fortior.  
           8       Non ludos agit et jocos.  
           9       Toto Numine serius,  
 10       flectit mollia pollice,  
 11       frangit dura tricuspide.  
 12       Sed prosternit, ut erigat.  
 13       Non est mortua, virgines,  
 14       vestris juncta sodalibus.  
 15       Dormit. Cor tenuis patens  
 16       oris laxat anhelitus.  
 17       Pulmo naribus integer  
 18       mites ducit Etesias.
- P28\_5E v.1       Ite ferre languenti  
           2       Amore, sellam.  
           3       Ite, floribus refectam  
           4       fulcite vernis.  
           5       Dulcis Autumni caducis  
           6       stipate malis.
- P28\_5F v.1       Inter nexilis ubera  
           2       Myrrhae fasciculus fragret.

P28\_6 v.1 Ferre tandem impotens jaculum tam forte ?  
 2 Moritur, ut dictum est, sed felici morte.  
 3 Nam panduntur protinus ei caeli portae :  
 4 dignam ut intelligas se sanctorum sorte.  
 5 Requiem pro anima tali non cantamus.  
 6 Imo est introitus Missae. Gaudeamus.  
 7 Quia si pro. Martyre Deum exoramus :  
 8 ut decretum loquitur, sancto derogamus.  
 9 Eia dulcis anima, eia dulcis rosa,  
 10 liliu[m] convallium, gemma pretiosa :  
 11 cui carnis faeditas extitit exosa :  
 12 Felix tuus exitus, morsque pretiosa.  
 13 Felix, quae jam frueris requie cupita,  
 14 inter sponsi brachia dulciter sopita :  
 15 ejusque spiritui firmiter unita.  
 16 Ab eodem percipis oscula mellita.  
 17 Jam quiescunt oculi : cessant aquae ductus,  
 18 nam aperte percipis spei tuae fructus.  
 19 Quia per quem Saeculi evasisti fluctus :  
 20 tuos inter oscula consolatur luctus.  
 21 Dic, dic dulcis anima, ad quid ultra fleres :  
 22 habes caeli gaudium tecum, cur lugeres :  
 23 nam solus est omnia, cui tu adhaeres.  
 24 Et, si velles amplius, certe non haberes.

EPINICIUM DIVINI AMORIS. ANIMAM TRIUMPHATAM AD CAELESTEM SPONSUM SUBVEHENTI...

P29\_1 v.1 Nunc amet, qua non amavit quaque amavit, nunc amet.  
 2 Impotens cruenta ferre Mens amoris spicula ;  
 3 currit illa, currit instar fixa cervi saucii :  
 4 cujus haeret acta tergo canna venatoria.  
 5 Ut sitim desiderato fonte ponat igneam :  
 6 per vepreta per fruteta fertur atque retia.  
 7 Donec ad scaturientem lassus undam concidat  
 8 nunc ametque non amavit : quaque amavit, nunc amet.  
 9 Mens anhela cordis aestu. Sic dolet jucundius.  
 10 Illi nam furore dulci laesa fert arundinem :  
 11 nec potest arcere flammam, nec mederi vulneri  
 12 plaga ludibunda saevit : fax perurit viscera.  
 13 Ergo vitae sica tendit ad perennis flumina :  
 14 sed citata, fonte viso quem requirit, occubat.  
 15 Nunc amet. Quae non amavit : quaque amavit, nunc amet,  
 16 dulce votum, grata mora est, occubando vivere.  
 17 Deserenti vasa Terrae porta caeli panditur :  
 18 ut sciat se regis esse vas Honoris aureum,  
 19 multiplex corona Divum laeta prodit obviam :  
 20 quos salutat gratulantes ore jam sororio.  
 21 Hi sororem consalutant, et ferunt ad aethera.  
 22 Nunc amet, quae non amavit, quaque amavit, nunc amet,  
 23 funus istud, funerali nemo deflet tibia.  
 24 Una vox est, gaudeamus, una vox, sed plurium.  
 25 Urbs, Senatus, ara, templum, gaudeamus, personant.  
 26 Praeficae procul facessunt, atque tristes neniae.  
 27 Martyrem licet rogare : non licet pro martyre.  
 28 Certa res, et fama Sacri testis est oraculi  
 29 nunc amet, quae non amavit : quaque amavit, nunc amet.

30 Crescit inter verba plausus, infremunt encomia.  
 31 Virgo gemma nominatur, orbe toto dignior.  
 32 Flos rosarum, rosque florum liliū convallium.  
 33 Candidum quod nulla turpi noxa tactu polluit.  
 34 Nullus oris inquinavit pestilentis halitus.  
 35 Prosperis beata mors est concolor natalibus.  
 36 Nunc amet, quae non amavit quaeque amavit, nunc amet.  
 37 Ter quaterque Virgo felix Pacis in tentorio,  
 38 casta summi sponsa Regis in cubile duceris  
 39 Stella lucet,serta fragrant : laetus Hymen accinit.  
 40 Sponsa dormi tendit, ecce, sponsus ipse brachia.  
 41 Myrrheum formosa, suge te foventis spiritum,  
 42 balsamo fluent capilli : melle manant oscula.  
 43 Nunc amet, quae non amavit : quaeque amavit, nunc amet,  
 44 jam quiescit. Grata mulcent post labores otia.  
 45 Ex amore quae profusis innatarunt lacrimis,  
 46 clausa succo dulciore somnus ungit lumina.  
 47 Uva floret, spes cupitae non fefellit vineae.  
 48 Inter undas fluctuantes, cujus usa est anchora,  
 49 litorali cincta sereto sentit et solatium.  
 50 Nunc amet, quae non amavit : quaeque amavit, nunc amet,  
 51 sponsa ride : cur in istis maesta fleres gaudiis ?  
 52 Servit uni, cuncta gyro quidquid astra continent.  
 53 Mira quaeque, pulchra, blanda, delicata mollia,  
 54 sparsit in te liberali plena cornu Copia.  
 55 Nil, quod optes, est relictum quodque possis quaerere,  
 56 quem tenes innixa collo, vota vincit omnia.

## EPILOGUS

P29\_2 v.1 Sed jam metrum finio : ne sim taediosus.  
 2 Nam si vellem scribere, quam deliciosus  
 3 sit hic status Animae, quamque gloriosus :  
 4 a malignis dicerer fallax et mendosus.  
 5 Quidquid tamen alii dicunt, frater care :  
 6 istum novum martyrum libens imitare.  
 7 Cumque talis fueris, Christum deprecare,  
 8 ut te cantus martyrum doce at cantare.  
 9 Frequentemus canticum istud, Soror pia :  
 10 ne nos frangat taedio vitae hujus via.  
 11 Nam laetantem animam in hac melodia.  
 12 Post hanc vitam suscipit Jesus et Maria  
 13 Ergo, Soror, tuum cor ita citharizet :  
 14 se baptizet lacrimis, planctis martyricet :  
 15 Christe totis viribus sic nunc organizet ;  
 16 ut cum Christo postea semper solemnizet :  
 17 tunc cessabunt gemitus et planctus dolorum  
 18 Cum adjuncta fueris choris Angelorum.  
 19 Nam cantando transies ad caelestem chorum.  
 20 Nupta felicissimo Regi saeculorum.

## EPILOGUS. LITERAE PHILOMELAE IN CAELUM RECEPTAE, AD SOROREM SUAM PROGREN...

P30\_1 v.1 Littera, quam Procne lapsam mirata per auras  
 2 cernis ; ab aetheriis mittitur ista plagis.  
 3 Si potes impressum cerae cognoscere nomen :  
 4 candida felicis signa sororis habes.  
 5 Utilis ad notos scriptam dimissa tabellam

6 saepe columba tulit : fert Philomela modo.  
7 Sed tu Cecropii peraratum stemma parentis,  
8 et Pandionias quaerere parce notas.  
9 Usa fui nivei notis insignibus Agni,  
10 cujus ab irriguo funditur ore dies.  
11 Agnus dat titulos, et nomen, et omnia nobis,  
12 Agni purpureo sanguine penna madet.  
13 Hinc apices rubros caelestis Epistola monstrat :  
14 infuscat calamum sepia nulla meum.  
15 Perlege quocunque est fors legisse juvabit ;  
16 et cupies nostras visere prompta domos.  
17 Cum simul a terris nos ala repente levaret :  
18 par votum (memini) non utriusque fuit.  
19 Oppida gaudebas viridi praeponere silvae,  
20 me patulum caveis anteferente nemus.  
21 Ut tamen in caelo succedunt omnia votis :  
22 sic quoque concordant omnia vota sibi.  
23 Sive velis intra muros, seu degere ruri :  
24 allicient forma gratus uterque locus.  
25 Aurea consurgunt, jactantque palatia culmen :  
26 auratas turres gemmeus ornat apex.  
27 Moenia byrillo nituntur, iaspide tecta  
28 caelatae solido stant adamante fores,  
29 quasque trabes volitans et tignos, vere reverso  
30 quaeris, ut aedifices, suppeditabit ebur.  
31 Si videas : spernes habitata mapalia Mundi  
32 altior, et dices : sordida Terra vale.  
33 Nempe tuae quid sunt, nisi nidus hirundinis, urbes ?  
34 Nominis offendor tacta pudore mei.  
35 More avium luteas, homines suspenditis arces :  
36 vile lutum, vestra est regia, vilis humus.  
37 Non tamen idcirco, Superum quia videris aulam,  
38 non etiam silvas arvaque nostra probes.  
39 Sunt horti nobis, et in hortis omnia rident,  
40 fonte fluens, leni murmure, lympha salit :  
41 perque tot areolas, quot stellas Luna reducit,  
42 spargitur, innumeris currere visa viis.  
43 Plurima ramosas extendit populus umbras :  
44 nec procul a vitreis sibilat alnus aquis.  
45 Vivimus hic turae foliis non abditus auceps,  
46 non latet ad nostrum fistula facta sonum.  
47 Pax inter socias sunt cum Phoenice palumbes ;  
48 ludicra non metuit spinulus arma Gruis.  
49 Insones Aquilae nulli fera bella minantur :  
50 cum merulis placidos ducis Alauda choros  
51 quotquot aves ludunt, cantum prius atque probandos  
52 arbitrio mores supposuere meo.  
53 Est aliquid, Progne nemus istud posse mereri :  
54 pulsa fuit culpa non avis una sua.  
55 Corvus abest, upupaeque et praedo milvius ater,  
56 Noctuaque, et nimio passer amore salax.  
57 Nec te garrulitas aliis odiosa juvaret :  
58 excuset vitium ni Philomela tuum.  
59 Ipse adeo Cycnus nostris arcetur ab oris  
60 nam tremulam vocem jam morientis habet  
61 perpetuae gaudens jucundo munere vitae  
62 vivida sidereus carmina coetus amat,  
63 sed tu cara veni. Quamvis dos maxima desit,

64 nec dederint Musae dulcius ore loqui ;  
65 arte tuas astuque meo supplebo Camoenas.  
66 Quod soror, hoc ipso jam toleranda venis.  
67 Ah, quoties terras cogit te vertere bruma :  
68 ut ver invenias hospes ubique novum !  
69 Nos crocus et nardus, semperque Favonius afflant.  
70 Nescimus, quid sint frigora quidve gelu.  
71 Certa manet sedes, non est mutare necessum.  
72 Ocius ad caeli limen, hirundo, vola.  
73 An modo te volucrem pudet esse, et scindere ventos ?  
74 O utinam pudeat sortis utramque suae  
75 o pereat, qui nos plumis vestire poeta,  
76 ludibrio falsi nominis, ausus erat.  
77 Exue confictam nunc, si sapis, exue formam,  
78 non decet humanum mobilis ala genus.  
79 Sis ea, quae fueras magno Pandione nata  
80 uxor ab Ismario cum peterere proco.  
81 Ipsa quoque abjeci pridem mendacia vatum :  
82 Cumque homo sim, frustra garrula credor avis.  
83 Scilicet in Manes retinet ni fabula juris  
84 libera plebeios effugit umbra jocos.  
85 Ex tot figmentis mihi vox tantum modo mansit :  
86 caetera sum mulier, sed Philomela vocor.  
87 Jamque alias quatio sublimis in aethere pennas.  
88 Mens volat, et secum corpus ad astra levat  
89 aligerae, quae sit novies distincta, juventae,  
90 non ramen alitibus sum sociata feris.  
91 Vix avis impletura manum dicamur Athenis  
92 dum tamen in Caelo pulchra puella vocer.  
93 Et vocor, et placeo, repetique implumis amantem :  
94 nuptaque lum Regi filia rege sata.  
95 Si quaeris nomen ; Christum se nominat unctus ;  
96 si formam ; facies nulla serena magis.  
97 Lumina lacte madent, frontisque est lata voluptas :  
98 et nitet incenso nigra colore coma,  
99 largus fundit opes ritu torrentis Iberi :  
100 quippe manus Hermi divite lavit aqua.  
101 Quo sedet in solio, terris est majus Achivis.  
102 Chrysolithis totum fulguras ingenuis.  
103 Quid Procne, conferre potes, quid patria duri  
104 conjugis, aeterna conglaciata nive ?  
105 Te miseram regio septem subjecta trioni,  
106 verius exilii nomine digna, tenet.  
107 Sceptra geris Scythiae : quod nec ramen ipsa negabis,  
108 barbara terra tua est, barbara terra tua est.  
109 Finibus Ausoniis latro, pulsusque Pelasgis,  
110 in Scythiam semper missus adulter erat.  
111 Sontes intrusos memoro ? Parit impia plures.  
112 Instar multorum Tereus esse potest.  
113 Heu, fuge crudelis feralia claustra tyranni.  
114 Nonne tibi nocuit Thracia, nonne mihi ?  
115 Thracia : continuis praesens ubi caedibus hostis  
116 pascitur, et toto tempore saevit hiems.  
117 Horret et infestus rigidis Aquilonibus aer,  
118 et levat infaustam stiria sola sitim.  
119 In nostram secede nemus, quod lilia cingunt,  
120 quod Zephyrus violis saepiit atque rosis.  
121 Intus pampineis vites in collibus ardent :

122 si placet, uva cadit ; si petis, alba ruber.  
 123 Stant immortales radiato vertice cedri :  
 124 legitimi taedas pinus amoris alit.  
 125 Virgineae lauri. Myrtusque uxoriam fragrant :  
 126 et palmae, forti praetereunte, strepunt.  
 127 Sessuris sese platanus, surgentibus offert  
 128 malus, et in gremium mitia poma jacit.  
 129 Omnia si numerans percurrere gaudia vellem :  
 130 culparer Graia scribere vana fide.  
 131 Pauca tamen narro. Possem tibi plura referre.  
 132 Caetera versiculis clausa duobus erunt,  
 133 crescit odora seges : sudant opobalsama truncis :  
 134 prata fluunt oleo : nectare ripa tumet.  
 135 Forte roges : quae me subito Fortuna beatit :  
 136 Unde favens croceis fulserit aura rotis.  
 137 Opportuna Deum flexi, precibusque negantem  
 138 cedere, mollivi fletibus uda meis.  
 139 At ne displicitus faciei naevus inesset,  
 140 sparsimus hyssopo, diluimusque sale.  
 141 Questa putabar Ityn cultro deflere peremptum :  
 142 sed fleui culpas tunc miseranda meas.  
 143 Ubera tundebant pugni : violentior unguis  
 144 ora scidit, plagis erubere genae.  
 145 O, quoties inter scopulos, praeruptaque saxa,  
 146 exegi noctes planctibus atque dies !  
 147 O, quoties dixi : nisi me meus aspicit ignis,  
 148 protinus emoriens hac tumulabor humo.  
 149 Audiit : atque suae solatus martyris aestum,  
 150 destitit optati spe cruciare tori.  
 151 Cessarunt gemitus posito velamine nigro,  
 152 laetior ex illo tempore sumpta roga est.  
 153 Venimus ad thalamum soror o gratare sorori,  
 154 exemplo felix sponsa futura meo.  
 155 Sed cave, ne macula tuus offendatur amator,  
 156 ille oculos, toto corpore. Lyncis habet.  
 157 Illacrimare malis, laesa pietate, peractis.  
 158 Non Natum Mater, crimina plange tua :  
 159 detestate truces animos, caenamque marito  
 160 appositam, coctum, viscera Patris, Ityn.  
 161 Purga turpe nefas. Calida, ter mane, cruentum,  
 162 Vespere ter, plorans ablue corpus aqua.  
 163 Mox eris electri stillantis ab arbore flamma  
 164 lucidior, nivibus candidiorque tuis.  
 165 Tunc Jesus, tunc quae genuit pulcherrima Jesu,  
 166 casta propinabunt oscula mille tibi.  
 167 Qualibus et quot, io, tunc deliciis languesces !  
 168 O quibus, o quantis ebria laetitiis !  
 169 Auditura sonum sponsi dignantis amare :  
 170 lectulus en floret : rumpe, decora, morae ;  
 171 transiit acris hiems : abiit lacrimabilis imber,  
 172 surge, columbinae mentis Amica veni.  
 173 Turturis in nostro vox est audita cubili.  
 174 Tu mea dilecta es, tu speciosa mea.  
 175 Respondebis ad haec tenero liquefacta calore :  
 176 te video, mea lux te video, et teneo !  
 177 Inveni tandem quem diligo : nec dimittam.  
 178 Candide, tu meus es, tu, Rubicunde, meus.  
 179 Ille suae sponsae titulos iterabit et ignes :

180 Tu mea Dilecta es, tu Speciosa mea.  
181 Tuque tui sponsi repetes complexibus haerens :  
182 Candide, tu meus es, tu, Rubicunde, meus.  
183 Fallor : an arcano motu praesagio certa ?  
184 Certa reor : nam qui scribere jussit Amor :  
185 Dexter, et arridens idem confidere jussit.  
186 Illius haec etiam est litera ducta manu.  
187 Ut lepidus Puer est ; modo se scribentis et ipse  
188 inseruit digitis, composuitque notas :  
189 et modo surreptam mutavit arundine pennam  
190 telaque substituit sanguine tincta suo  
191 cum votis claudenda foret jam Charta supremis,  
192 et me sollicitam cerneret esse tui :  
193 anxia quid dubitas ? Strictim mihi dixit in aurem :  
194 Procne convenient et Philomela simul.  
195 Stent haec vota precor. Non interrupta sequatur  
196 omen, et eventum spes habitura suum.  
197 Jamque vale : felix, quoties legis ultima verba,  
198 si studeas propior semper adesse mihi.